







PRIMAE LINEAE
M. PRINCIPATUS TRANSILVANIAE

HISTORIAM

ANTIQVI, MEDII ET RECENTIORIS AEVI
EXHIBENTES ET ILLUSTRANTES
AUCTORE

MARTINO FELMER,

PASTORE QVONDAM ECCLESIAE A. C.
ADDICTORVM CIBINIENSIS ET
SCHOLARVM EIVSDEM CIVITA-
TIS INSPECTORE PRIMARIO.



CIBINII, Typis Barthianis Anno 1780.

NOS MARIA THERESIA Dei Gratia Romanorum Imperatrix Vidua, Regina Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Gallíciæ, & Lodomeriæ, Archi-Dux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Magna Princeps Tranſilvaniæ, Dux Mediolani, Mantuæ, Parmæ, &c. &c. Comes Habspurgi, Flandriæ, Tyrolis &c. Lotharingiæ & Barri Dux, M. Dux Hetruriæ &c. &c.

Memoriæ commendamus tenore præſentium, ſignificantes, quibus expedit Vniverſis, quod Nos cum demiſſarum Circumſpecti *Petri Barth*, Liberæ, Regiæque Civitatis Noſtræ Cibinienſis Civis, & Typographi pro eo Majeſtati Noſtræ exhibitarum precum, ut ipſi ad certum tempus Privilegium privativum, opus *Martini* quondam *Felmer* Paſtoris, dum viveret, Cibinienſis, *primas Hiſtoriæ Tranſilvaniæ Lineas*, continens, imprimendi benigne impertiri dignaremur, tum vero commendationis a Gubernio Noſtro in Hæreditario Nobis Magno Tranſilvaniæ Principatu Regio pro ſupplicante interpoſitæ benignam habentes rationem, eidem *Petro Barth* de Regiæ, *& Principalis Poteſtatis* Noſtræ plenitudine, gratiaque ſpeciali, ſupplicatum ejusmodi Privilegium, ad Decem Annos a dato Præſentium computandos, duraturum, clementer, & ita concedendum, impertiendumque eſſe duximus, ut ipſe *Petrus Barth* memoratum *Martini* quondam *Felmer* Opus ante quamvis novam editionem ad cenſuram, reviſionemque Commiſſioni eatenus per NOS in eodem Principatu conſtitutæ exhibeat, duoque ex illo Exemplaria ad Bibliothecam Vniverſitatis Noſtræ Claudiopolitanæ adminiſtret, cæterum autem nemo alter, quicunque ille ſit, præcitatum Opus Felmerianum durante hoc decem annorum ſpatio, in qualicunque majori, aut minori Formato ſeu integrum, ſive quoad partem ullibi in univerſis Ditionibus Noſtris Hæreditariis, ſub pœna confiſcationis, & quinque Marcarum auri gravis ponderis, in dimidietate, una ad Cameram Noſtram, in altera vero Parti læſæ irremiſſibiliter perſolvendi, reimprimere, & recudere audeat, vel præſumat, imo concedimus, ſtatuimusque Præſentium per vigorem. Quapropter Vobis omnibus, ſingulis cujuscunque Status, Gradus, Conditionis,

& Praeminentiae fidelibus Nostris subditis, specialiter vero Iudici, caeterisque juratis Civibus, & Senatoribus memoratae Civitatis Nostrae Cibiniensis, modernis utpote, & futuris, specialiter vero omnibus, & singulis Typographis harum serie Clementer, & serio praecipientes committimus, & mandamus, quatenus toties fatum *Petrum Barth* in exercitio Iuris per memoratum Privilegium impetrati nullatenus turbare, impedire, molestare, & prohibere praesumatis, sed ipsum hac benigna Gratia, & annuentia Nostra eidem praevio modo concessa libere, secure, & absque ullo damno, molestia, vel impedimento, durante praestituto Decem annorum spatio, uti, frui, & gaudere permittere, ac per eos, quorum interest, vel intererit, permitti facere, modis omnibus debeatis, ac teneamini. Harum Nostrarum Secretioris, & aulici Sigilli Nostri munimine roboratarum vigore, & testimonio Litterarum mediante, quas post earundem lecturam semper reddi volumus, ac jubemus praesentanti. Datum in Civitate Nostra Vienna Austriae, die nona Mensis Septembris, Anno Domini, Millesimo, Septingentesimo, Septuagesimo Nono. Regnorum vero Nostrorum Trigesimo Nono.

MARIA THERESIA. (L.S.)

Thadaeus Baro de Reischach.

Ad Mandatum Suae Majestatis
Sacratissimae

Ioannes Cloos.

PRAE-



PRAEFATIO.

Lector Benevole!



Inter multos, qui res memorabiles in Tranſilvania geſtas deſcripſerunt, plurimos vel quandam ſolum annorum periodum, completa ſatis relatione pertractaſſe; alios vel integram ſeculorum ſeriem, aſt conciſo nimis ſtilo exhibuiſſe; alios iterum vel nudam fere chronologiam; alios denique Regni inprimis Hungariæ ex propoſito ſuo, Tranſilvaniæ vero tantum in tranſitu, quoad nexum, qui ab antiquiſſimis temporibus cum illo interceſſit; hiſtoriam poſteritati tradidiſſe, notiſſimum eſt. E majori horum omnium numero, quis non *Thurotzium*, *Bonfinium*, *Iſtvánfium*, *Wolffgangum* de *Bethlen*, *Mathiam Belium*, *Georgium Pray*, & e Compendiariis *Ioannem* Comitem a *Bethlen*, *Töppeltinum*, *Timonem*, *Palmam* & *Hanerum*, cæteris

præferendos eſſe meminit. Quamvis igitu
hiſtoriæ cupidus, nonnullam ejus notitiam
præmiſſorum auctorum operibus obtinere po
ſet, longe tamen abeſt; ut completam, juſt
que ſerie cohærentem actuum, factorumqu
in Tranſilvania geſtorum ſcientiam, exind
haurire queat. Cui defectui conſulturus I
auctor, ante viginti & quod excurrit annos
Conrectoris & Rectoris munus in celebri A. C
addictorum Gymnaſio hujate ſuſtinens, pr
uſu inprimis juventutis ſcholaſticæ, nec ade
prolixam, nec minus conciſam patriæ hiſtori
am ſcribere conſtituerat, opusque præſens
diverſis ſubinde vicibus ab eodem reviſum &
limatum, quod nunc uſibus Tuis *L. B.* exhi
beri, publicæque luci mandari Inclyta quoqu
Commiſſio Cæſareo-Regia Librorum Cenſori
dignum eſſe judicavit, maturo ſane judicio
veritateque facem ſibi præferente, concinna
verat. Quantam in ejus elaboratione B. au
ctor collocaverit induſtriam, ſingularemqu
perſpicuo & ſatis eleganti ſtilo hiſtorico, re
memorabiliores congruo nexu referendi ope
ram adhibuerit, Tibimet ipſi *L. B.* præſen
tes paginas inſpecturo, ſufficienter patebit
Nemo enim hactenus, præter auctorem no
ſtrum, antiquum hujus Principatus ab ill
tempore, quo ſub nomenclatura Daciæ pri
mum innotuit, a Thracibus, Getis, Dacis

Roma-

Romanis & Gothis invicem occupati, ſtatum, cum ſuccedentibus Hunnorum, Avarum ſubſequentiumque Ducum & Hungariæ Regum imperiis combinavit, & ex Græcorum Romanorumque Scriptorum, ut & veterum Inſcriptionum lapidarium collatione, miram hiſtoriæ lucem affundendo, tam feliciter illuſtravit; quin imo geographica patriæ deſcriptione, quam huic operi præmiſit, tantam uſui publico tulit utilitatem. Negari quidem non poteſt, hoc opus, velut primas hiſtoriæ lineas continens, omnibus, ut dici ſolet, numeris abſolutum haud eſſe; conſtat enim ſingulis penitiorem ſtatus patriæ notitiam habentibus, ſub noviſſima periodo, & præcipue ab Anno 1770. deorſum, ubi coram Excelſo Foro productionali, juſſu *Sacratiſſimæ* Suæ Majeſtatis conſidente, nonnulla documenta, privilegia & inſtrumenta in ſcriniis nobilium familiarum & paſſim in Archivis publicis latentia a partibus in jus vocatis, ad defenſionem libertatum juriumque ſuorum e tenebris quæſita & exhibita fuerunt, haud levia pro illuſtranda & explicanda veteri hujus Principatus conſtitutione in lucem prodiiſſe monumenta, quæ ſi B. auctor, Aô. jam 1767. non ſine gravi amicorum ſuorum, ob ſvaviſſimæ ejus familiaritatis & facundiæ ſublimiorumque doctrinarum & inſignis hiſtoriarum ſcientiæ jacturam lugen-

tium dolore, fatis functus, præ manibus habere potuiſſet, eundem nonnullos partim hiatus ſuppleviſſe, partim vero repetitam adhibendo limam, majorem operi ſuo perfectionem tribuiſſe, dubium vix ſupereſt.

Prodivit equidem non diu viri clariſſimi Ioſephi Benkö Tranſilvania, opus ſingulari cura & induſtria ex antiquis recentioribusque documentis, legibus patriis & Articulis diætalibus elaboratum: eo tamen non obſtante, hoc ſimul etiam hiſtoriæ Tranſilvanicæ compendium, tanto minus ſupervacaneum, quin potius pro erudienda ſtudioſa juventute aptum commodumque fore videtur, quum illud jus ſtatumque magis publicum, hoc vero inprimis rerum in Tranſilvania geſtarum memoriam referat, unumque alteri commentarii loco inſervire poſſe dignoſcatur. Vale *L. B.* & fave. Scribebam Cibinii die 20. Iulii A. 1779.

I. F. de R.
Senator Cibinienſis.

Prolegomena.

§. 1.

Quum omnis hiſtoriæ veritas, ex genuinis fontibus, utpote fide dignis teſtibus ac documentis publicis, ſit derivanda; non immerito, de teſtium documentorumque publicorum, ad pleniorem hiſtoriæ patriæ ſcientiam neceſſariorum, notitia, recenſionem prius ſubnectere conſtituimus.

§. 2.

Ad Teſtium autem numerum referimus. (1.) Monumenta antiqua (2.) Scripta publica. (3.) Scriptores rerum Tranſilvanicarum, & Geographicos, & Hiſtoricos & miſcellos, quorum notitiam ſtudium Hiſtoriæ Patriæ promovere, & hinc fundamenti loco eidem præmitti, facile eſt ad intelligendum.

§. 3.

De monumentis antiquis Hiſtoriæ Tranſilvanicæ lucem affuſuris ſcripſerunt *ex noſtratibus*, *Stephanus Zamoſius*, cujus analecta lapidum vetuſtiorum prodierunt Patavii Anno 1593. *Martinus Schmeitzel*, qui edidit Erläuterung goldner und ſilberner Siebenbürgiſcher Münzen Halle 1748. Antiquitates vero Tranſilvanicas ex nummis, & inſcriptionibus erutas in manuſcripto reliquit. Ab exterorum laboribus huc pertinent, Hiſtoria utriusque belli Dacici ex ſimulacris, quæ in columna Trajani Romæ viſuntur collecta, cum brevi commentatione *Alfonſi Ciaconii* Romæ Anno 1576, & 1616. *Raphaelis Fabretti Syntagma* de Columna Trajani Romæ 1683. & 1690. *Joann Wolffgangi Lazii* Commentarius de Republica Romana Francofurti Anno 1598. & *Aloyſii Ferdinandi* Comi-

tis de Marsigli Regius Pannonico - Mysius Danubius Hagæ & Amstelodami Anno 1726. editus.

§. 4.

Scripta Publica quoad maximam partem latent in scriniis publicis, seu Archivis tum Politicis, tum Ecclesiasticis, quorum præcipua sunt, quæ Albæ Juliæ, & Claudiopoli asservantur, quædam tamen eorum lucem adspexerunt, vel singulatim, vel in aliis collectionibus Actorum publicorum, typis expressa, vel libris denique Historicis inserta. Ex collectionibus talibus præcipue hic commendanda est, Lehmannus continuatus, seu Historia de statu Religionis in Hungaria diplomatica. In manuscripto adhuc delitescunt, tum collectiones Privilegiorum Clero Saxonico in Transilvania indultorum, una cum actis Synodalibus ab Anno 1554. ad nostra usque tempora continuatis, tum *Martini Schmeizelii* Anecdota ad Hungariæ & Transilvaniæ statum interiorem spectantia, ipsamque Historiam Seculi XIII. & seqv. egregie illustrantia.

§. 5.

De Scriptoribus rerum Transilvanicarum digerendis, & censendis meriti sunt ex nostratibus: *Martinus Schmeizelius*, cujus Catalogus Auctorum ad Hungaricas & Transilvanicas res pertinentium prodiit Halæ Anno 1724. Bibliotheca autem Hungarica, seu commentatio critico-litteraria de Scriptoribus rerum Hungaricarum & Transilvanicarum, vicinarumque Provinciarum prelum ab aliquot jam annis exspectat, & Reverendissimus Ecclesiarum Augustanæ Confessioni per Transilvaniam addictarum Superintendens *Georg. Jeremi-*

Jeremias Haner, cujus adversaria de Scriptoribus Hungaricis, & Transilvanicis ordine chronologico disposita, omnem superant commendationem. Ab exteris vero huc pertinet *David Zvittingerus* cujus Bibliotheca Scriptorum, qui extant de rebus hungaricis, annexa est ejusdem Specimini Hungariæ litteratæ, quod prodiit Altdorffi Anno 1711. & *Martinus Schœdelius* in cujus notitia Hungariæ antiquo modernæ proœmium a pag. 8. usque ad 20. huc facit, ut & Series chronologica Scriptorum ex *Gabrielis Buczelini* Nucleo Historico in observationibus *Joann. Ferdinand Behambi*, pag. 36. 40. transscripta.

§. 6.

Primam Classem Scriptorum huc pertinentium constituunt Geographici, descriptionem Transilvaniæ, & antiquæ, & modernæ, ex Mappis & Libris exhibentes. Veterem illam Daciæ nostræ faciem cognoscas ex tabulæ Peutingerianæ segmento 5. *Job Tröfteri* alt und neu teutsches Dacia Libr. I. Cap. 11. *Francisci Faschingii* Dacia antiqua edita Claudiopoli Anno 1725. quibus addi possunt. *Laurentii Töppeltini* origines & occasus Transilvanorum. Lugduni Gallorum Anno 1667. *Samuelis Schurzfleischii* Dissertatio de Dacia consulari a *Johanne Francisci* Coronensi. Wittebergæ Anno 1690. & *Danielis Molleri* Dissertatio Historico Geographica de Transilvania a Johanne Graffio Cibiniensi Altdorffi Anno 1700. defensa, cæterique Geographiæ veteris Scriptores classici & antiqui. *Ptolomæus*, *Strabo*, *Mela* &c. & recentiores: *Hornius*, *Bertius*, *Cluverus*, *Cellarius*, & *Büschingius*.

§. 7.

Adumbrationem Transilvaniæ recentioris suppeditant

ditant Comitis Morando de Visconti Principatus Transilvaniæ Cibinii Anno 1699. excusus. *Johann. Christoph. Mülleri* Regnum Hungariæ cum adjacentibus Regnis, & Provinciis Anno 1709. 4. foliis regalibus publicatum, & mappæ manibus Gromaticorum Veissii, Schvantzii. Zoltneri, ac nuper ad modum Luxensteinii delineatæ. Præterea vero Georgii a Reichersdorff Transilvaniæ, ac Moldaviæ, vicinarumque Regionum succincta Descriptio, Viennæ Anno 1550. in lucem emissa. Joann. Trösteri Alt und Neues Deutsches Dacia Nürnberg, 1666. Georgii Kreckvitz Ausführliche Beschreibung des ganzen Fürstenthums Siebenbürgen. Nürnberg Anno 1688. *Francisci Faschingii* Dacia nova Claudiopoli Anno 1744. & quæ in manuscripto detinetur, Veissii Historico Geographica & Topographica Descriptio Transilvaniæ.

§. 8.

Ad alteram Scriptorum hic recensendorum classem referimus Historicos, sive illos, qui vicissitudines Transilvaniæ nostræ potiores tum politicas, tum Ecclesiasticas memoriæ prodiderunt. Politicarum rerum Commentarii vel nostrates, vel Hungaros, vel exteros Auctores habuerunt. Nostratum rursus opera, vel Series annorum continua, vel hujus illiusve periodi separatim exhibita est descriptio.

§. 9.

Ad priores Scriptores referimus libros sic dictos chronicos, ex quibus lucem aspexerunt *Michaelis Siegleri* Chronologia rerum Hungaricarum, Transilvanicarum & vicinarum Provinciarum ab Anno 1366-1563. in *Mathiæ Belii* apparatu ad Historiam Hungariæ Decade

eade 1ma monumento 2do *Thomæ Bomelii* Chronologia a 1mo Hunnorum in Pannoniam adventu ad Annum 1556. Coronæ Anno 1556. In manuſcripto vero circumferuntur Chronicon, ſive Annales rerum Hungaricarum & Tranſilvanicarum ab Anno 969-1529. per *Marcum Fuchs* Coronenſem, *Chriſtianum Lupinum* & *Joh. Oltardum*. Cibinienſes concinnati. *Davidis Herrmanni* Annales Politici. *Andreæ Hegjeſch* Chronick mit der Fortſetzung Hieronimi Oſtermayeri, & Simonis Röſzneri.

§. 10.

Ad Scripta periodica noſtratum referenda ſunt *Gaſparis Helts* Hiſtoria Mathiæ Hunyiadis Claudiop. Anno 1565. Mathiæ Miles Siebenbürgiſcher Würgengel Cibinii Anno 1670. *Johannis Jacobini* brevis enarratio rerum a Sigismundo A. 1595. geſtarum Claudiopoli Anno 1590. Comitis *Wolffgangi de Bethlen* Hiſtoriæ Tranſilvanicæ Libri X. Comitis *Johannis de Bethlen* rerum in Tranſilvania ab Anno 1629-1663. geſtarum Libri IV. *Töppeltini* Appendix revolutionum Tranſilvanicarum originibus ejus adjecta, & *Faſchingii* Daciæ novæ pars 3tia 4ta. In manuſcripto latent *Ambroſii Simigiani* Hiſtoria Tranſiluaniæ ab Anno 1494. ad initium usque 17mi Seculi. *Szamos-Közii* Pentades rerum Tranſilvanicarum. *Casparis Boethinii* de rebus geſtis *Gabrielis Bethlen* Libri 3. *Wolffgangi Kovatsotzii* Hiſtoria Tranſilvaniæ, adjecta Anonymi initia Regiminis Principis Sigismundi. Anonymi continuatio *Wolffgangi Bethlen* ab Anno 1601-1630 *Andreæ Gunneſchii* Continuatio Johannis Bethlenii ab Anno 1689. Michaelis Weiſſii diarium rerum ſua ætate in Tranſilvania geſtarum. Azarelæ Mederi Tractat von den leztenKriegs-

händlen in Ungarn, und Siebenbürgen. *Johannis Kemény* Principis Transilvaniæ vita idiomate Hungarico ab ipso conscripta. Szalardi opus Historicum de temporibus Georgii Rákotzii primi Hungarica lingva concinnatum. *Michael. Cserei* vera, & genuina Transilvaniæ Historia. Georgii Soterii medulla Historiæ Transilvanicæ, ejusdem tractatus de Cibinio, Reges Hungariæ &c. quibus tentamina recentiorum exempli gratia Schmeitzelii, Sieglerii, Filstichii, Haneri, Grossii, Teutschii jungi merentur.

§. 11.

Ex Hungaricis Scriptoribus, quorum opera lucem adspexerunt potiores, & res nostras præ aliis attingentes sunt: Johann Thurotz. Antonius Bonfinius, Nicolaus Istvanfius, Petrus de Reva, Gregorius Pethö. Johann Nadányi, Martinus Sz. Iványi, Samuel Timon, Johann *Kazy* cum aliis in Scriptoribus rerum Hungaricarum, quos Bongarsius Francofurti Aó. 1600. & Schwandtnerus Viennæ Anno 1734. seqv. edidit, deprehendendis, quibus Scripta Mathiæ, & Caroli Andreæ Belii, Peltzii, Szegedi &c. sunt jungenda. In manuscripto vero detinentur Michaelis Bruti Historia rerum Hungaricarum. Davidis Frölichii Chronologica Pannoniæ Descriptio. Francisci Forgats Commentarii sui temporis.

§. 12.

Ab exteris huc referendi non solum, qui Transilvanicas res commemorarunt ex professo, verum etiam ii, qui fata Patriæ nostræ ex connexione cum fatis vicinarum Regionum attigerunt. Inter primos numeramus sequentes: *Flavii Ascanii Centorii* Commentarium

mentarium belli Transilvanici italico idiomate conscriptum Venetiis Anno 1566. *Viti Marckthaleri, Sigismundi* rerum contra Turcas Anno 1595. gestarum enarrationem brevem Viennæ 1595 *Francisci Darotzi* descriptionem rerum in Transilvania post Moldavicam expeditionem gestarum A. 1600. *Cyro Spontonii* Historiam Transilvanicam Italice conscriptam Venetiis Aó. 1638. Vitam Comitis Emerici Tököli gallice conscriptam Coloniæ 1694 *Bechetii* vitam Cardinalis Martinusii gallice conscriptam Lutetiæ Anno 1715. Ex posterioribus usui nobis esse possunt. Ortelius redivivus, & continuatus, Gradelehns Ungarische und Siebenbürgische Chronik. Historia Revolutionum Hungariæ gallice conscripta. Francisci Antonii de Simeonibus Libri VI. de bello Transilvanico & Pannonico. Johann Lucii Libri IV. de Regno Dalmatiæ & Croatiæ. Gerhardi de Rhoo Annales rerum belli domique ab Austriacæ gentis Principibus gestarum. Vitæ Imperatorum Romanorum *Ferdinandi, Leopoldi, Josephi & Caroli VI.* Johann Dubravii Comentarii Historiæ Bohemicæ, Martini Cromeri origines, & res gestæ Polonorum, Leonhardi Goretii Historia Valachiæ, Historia revolutionum Moldaviæ gallice scripta, Nicolai Reussnerii Syndromus rerum Turcico-Pannonicarum, & denique Historiæ Jovii, Thuani, aliorumque Scriptorum coævorum.

§. 13.

Qui Res Transilvaniæ Ecclesiasticas memoriæ prodiderunt, eorum sunt paucissimi, huc pertinent ex opusculis nostratum in lucem editis Andreæ Oltardi concio solennis habita Cibinii Anno 1650. Francisci Pariz-Papai Rudus redivivum Cibinii Anno 1684.

Georgii Haneri Hiſtoria Ecclefiarum Tranſilvanicarum Vittebergæ Anno 1694. Hiſtoria Ecclefiarum Reformatarum in Hungaria & Tranſilvania per Lampium edita Trajecti ad Rhenum Anno 1725. Martini Schmeitzelii Diſſertatio epiſtolaris de ſtatu Eccleſiæ Lutheranæ in Tranſilvania Anno 1722. & Andr. Huſztii origo & incrementum & facies hodierna trium in Tranſilvania Gymnaſiorum Reformatorum, Francofurti ad Viadrum Anno 1731. In manuſcripto vero circumferuntur. Davidis Hermanni, & Stephani Gundhardi Annales Eccleſiaſtici, Andr. Scharſii ordinata digeſtio de rebus Tranſilvaniæ Eccleſiaſticis, ejusdem Compendium Privilegiorum clero Tranſilvanico indultorum. Ex laboribus vero extraneorum huc pertinent, *Inchofferi* Annales Eccleſiaſtici, Regni Hungariæ, Hiſtoria diplomatica de ſtatu Religionis in Hungaria. Peterſii Concilia Regni Hungariæ.

§. 14.

Ad Claſſem denique Miſcellaneorum res Patrias tamen illuſtrantium Scriptorum referimus.

Opuſcula ea, in quibus in Origines nationum Tranſilvanicarum inquiſitum eſt, quo præter Toppeltini, & Tröſteri jam prædicatos libellos pertinent: Valentini Franckii a Franckenſtein origines Nationum præcipue Saxonicæ in Tranſilvania Cibinii Aõ 1696. Martini Kelpii Natales Saxonum in Tranſilvania Lipſiæ Anno 1684. Andreæ Heltmanni Diſſertatio de origine ſeptem caſtrenſium Tranſilvaniæ Germanorum Upſaliæ Anno 1726. edita, quibus accedunt labores exterorum huc adſpirantes, Joachimi Schmidelii Diſſertatio de origine gentis Hungaricæ, Franciſci Foris Otrokotsii Origines Hunga-

ria

riæ. Jordani Origines Slavicæ, Desericii initia & Majores Hungarorum. Mathiæ Belii Prodromus notitiæ Hungariæ, Samuelis Timon imago Hungariæ antiquæ, & novæ, Georgii Pray Annales Hunnorum, Avarum, & Hungarorum. Caroli Andreæ Belii vera Epocha Avarum & Hungarorum. In manuscripto adhuc latent: Alberti Hutteri Oratio de origine Nationis Saxonicæ Anno 1591 die 10. Junii coram Principe Sigismundo Báthori habita. Andreæ Gunneschii Sachsen Treue in Siebenbürgen. Anonymi brevis & diplomatica Descriptio Nationis Saxonicæ in Transilvania. *Martini Schmeizelii* notitia Transilvaniæ.

§. 15.

Annumeranda præterea his scripta, politicam, genealogicam, & Physicam notitiam Transilvaniæ pertractantia nempe, Wolffgangi Kovasotzii Dialogus de forma Regiminis in Transilvania Claudiopoli Anno 1584. Johann de Kemény Commentatio de jure succedendi serenissimæ Domus Austriacæ in Hungaria. Halæ Anno 1731. Corpus Juris Hungarici recentissime editum Tirnaviæ Anno 1761. *Johannis Honteri* Compendium Juris, & Statuta Nationis Saxonicæ Coronæ Anno 1544. una cum Constitutionibus Regni Transilvaniæ approbatis æque ac compilatis, & articulis diætalibus; porro *Johann Pistorii* & Nicolai Reuszneri Genealogia Regum Hungariæ. Jacobi a Mellen series Regum Hungariæ e nummis aureis. Samuelis Kölöseri de Keresér Auraria Romano Dacica. Schmeizelii Erläuterung goldner und silberner Münzen von Siebenbürgen & qui in Manuscripto adhuc supersunt. Martini Opitzii Commentarius rerum Dacicarum. Georgii So-

terii Descriptio Transsilvaniæ. Davidis Herrmanni Jurisprudentia Ecclesiastica. Andreæ Teutschii Politische Beschreibung von Siebenbürgen. Georgii Jeremiæ Haner assertationes de Privilegio Saxonum Nationali. &c.

§. 16.

Testium horum omnium exploratio & collatio ad ductum sanioris criseos instituta, suam Historia Patriæ confirmabit veritatem, hujus usui tum universali con sistenti in provehenda virtute, & prudentia, con firmandaque Providentia divina fatorum nostrorum gubernatrice, tum particulari moderandis consiliis salutis Transsilvaniæ proficuis inservienti, si addas singularem illam voluptatem ex vicissitudinibus rerum tantopere ad nos pertinentium hauriendam: operæ certe, & laboris in eadem indaganda consumti, neminem unquam pœnitebit.

§. 17.

Historia Transsilvanica commodissime in tres partes separari potest, quarum *prima* antiquum, *secunda* medium, & *tertia* denique recentius ævum concernit. Quælibet vero in suas sectiones & Capita est distributa, prout sequens conspectus indicabit.

Pars prima continet Historiam ævi antiquioris a diluvio usque ad irruptionem Hunnorum in Transsilvaniam factam, id est ab Anno M. 1657. usque ad Annum C. 374.

Sectio. Ima Tradet notitiam geographico politicam totius Transsilvaniæ.

2da Ipsam Historiam ævi antiquioris.

Caput I. a diluvio usque ad imperium Romanorum

rum in Transilvania stabilitum *i. e. ab Anno M.* *1657. usque ad Annum C. 105.*

Cap. II. ab initio Imperii Romanorum in Transilvania stabiliti usque ad finem illius sub Aureliano insecutum. *i. e, ab Anno C. 105 usque Annum 274.*

Caput III. a fine imperii Romani in Transilvania ad irruptionem usque Hunnorum *i. e. ab Anno C. 274. usque 374.*

Pars II. Continet Historiam ævi medii ab irruptione Hunnorum in Transilvaniam facta, ad separationem usque regionis hujus ab Hungariæ regno i. e. ab Anno C 374: usque 1538.

Sectio I. Tradet vicissitudines Transilvaniæ ab irruptione Hunnorum ad initium usque Regni Hungariæ. i. e ab Anno C. 374. — 1000.

Caput I. Ab irruptione Hunnorum usque ad irruptionem Avarum *i. e. ab Anno C, 374. — 564.*

Caput II. Ab irruptione Avarum usque ad irruptionem Hungarorum *i. e, ab Anno 564. — 888.*

Caput. III. Ab irruptione Hungarorum ad initium usque Regni Hungariæ *i. e, ab Anno C. 888. usque Annum 1000.*

Sectio 2da Ab Initio Regni Hungariæ ad separationem usque Transilvaniæ ab eadem factam *i. e.* ab Anno C. 1000 — 1538.

Caput I. De Transilvania sub Regibus Hungariæ indigenis a Stephano Imo usque ad Andream III. *i. e, ab Anno C. 1000. — 1301*

Caput II. de Transilvania sub Regibus Hunga-

rira

riæ exteris, five peregrinis ab Andrea III. usque ad Ferdinandum *i. e. ab Anno C. 1301. — 1538.*

Pars III. Continens Hiſtoriam ævi recentioris a ſeparatione Tranſilvaniæ ab Hungariæ Regno facta ad noſtra usque tempora i. e. ab Anno C. 1538. usque Annum 1762.

Sectio Ima De Tranſilvania ſub Principibus Hungaricis ab Anno C. 1538. — 1699.

Caput I. De Principibus Scepuſienſibus ab *Anno C. 1538. — 1571.*

Caput II. De Principibus Bathoriis Stephano, Chriſtophoro, Sigismundo, Andrea, ab *Anno C. 1571. — 1605.*

Caput III. De Principibus Stephano Botſkai, Sigismundo Rakotzi, et Gabriele Bathori, *ab Anno C. 1605. — . 1613.*

Caput IV. De Principibus Bethleniis Gabriele, ejus derelicta Catharina, & fratre Stephano *ab Anno C. 1613. — 1631.*

Caput V. De Principibus, Georgio Rakotzi, Patre, & Filio, Franciſco Redei, Achatio Bartſai, & Johanne Keméný *ab Anno C. 1631. — 1661.*

Caput VI. De duobus Apaffiis patre & Filio *ab Annno C. 1661 — 1699.*

Sectio 2da De Tranſilvania ſub Principibus Auſtriacis.

Caput I. De Regimine Lepoldi Magni ab *Anno C. 1699. — 1705.*

Caput II. De Regimine Joſephi I. *ab Anno C. 1705— 1711.*

Caput III. De Regimine Caroli VI. *ab Anno C. 1711. — 1740:*

Caput IV. De Regimine Mariæ Thereſiæ *ab 1740. — 1762.*

HISTO-

Hiſtoriæ Tranſilvaniæ

Pars Ima.

Continens Hiſtoriam ævi antiquioris.

Sectio Ima.

Deſcriptionem Tranſilvaniæ tradens Politico Geographicam.

§. 1.

QUæ olim Scythici deinde Gothici Regni pars fuit, Regio, ſub Romanorum imperio Daciæ nomen eſt ſortita. Limites eidem a Ptolomeo Lib. 3. Cap. 8. verſus Boream, montes Carpatici ad Thyram uſque fluvium, ab oriente Pontus Euxinus, a Meridie Danubius, & ab occidente denique Tibiſcus flumen conſtituuntur. Dividebatur illa in tres partes, quarum quæ intra Tibiſci, Maruſii, ac Chryſii flumina, & cis Iſtrum ad Euxinum uſque extenditur, *Ripenſis Dacia*, reliqua vero contigua omnis regio, quæ hodie Moldaviæ, & Valachiæ nomen habet, *Alpeſtris Dacia*, & quæ denique inter utramque media erat, *Dacia Mediterranea* nuncupabatur, cujus Oppida potiora fuerunt *Zarmizegætuſa*, *Apulum*, *Salinæ*, *Zingidava*, *Netindava*, ad mediam *Parolyſſum*, *Patroiſſa*, *Prætoria Auguſta*, *Centumcollia*. &c.

§. 2.

dem ante annos 30. ita disponente Imperatore Carolo VIto gloriosæ memoriæ, Transilvaniæ iterum adjuncti sunt, ideoque partes Regni Hungariæ reapplicatæ dici solent. Inter has, quoad omnia onera Transilvaniæ adnexas ditiones numerantur 1mo Comitatus Szólnok mediocris, cujus loca potiora sunt Sibó, Zilah, Tasnàd, & Szilágy - Cseh. 2do Comitatus Zaránd, in quo notari merentur Brád, Kõres - Bánya, & Halmágy. 3tio Comitatus Kraszna, in quo præcipua sunt loca, Somlyo, & Kraszna. 4to Districtus Kõvár ab arce desolata ejusdem nominis ortum trahens.

§. 6.

Singuli Comitatus Hungarici prænominati, & proprie ad Transilvaniam pertinentes, & partium Regni Hungariæ reapplicatarum nomine venientes, suos supremos Comites habent, qui cum Supremis Judicibus Nobilium, Vice Comitibus, adjunctisque Assessoribus, & Notariis, Tabulam Continuam Judiciariam constituentibus, rem eorum publicam ad tenorem legum patriarum Mandatorumque regiorum moderantur. Districtus vero Fogarasiensis & Kõvariensis Capitaneo subsunt peculiari, qui pari modo, ac reliqui Comitatuum Præsides, eorumque Deputati, in Comitiis publicis ad commune bonum promovendum concurrere solent.

§. 7.

Sedes Siculicales pariter septem numerantur. 1ma illarum est Sedes Udvarhely, cum filialibus Keresztur, & Bardotz, quo pertinent præter Oppida jam nominata, pagi 130. in quinque Processus distingvi soliti, 2da

2da est Sedes *Marus* in Processum superiorem & inferiorem distincta, continens Pagos 127. 3tia est Sedes *Csik* superior & inferior, cum filialibus Gyergyó & Kászon, Pagos 50 complectens. 4ta est Sedes *Sepsi*, cum filia Miklosvár. 5ta Sedes *Kezdi* & 6ta *Orbai*, quæ tres posteriores uno nomine *Háromszék* dictæ Pagos 95. complectuntur & 7ma denique est Sedes *Aranyas* cui Pagi 22. annumerantur.

§. 8.

Sicuti Comitatus Transilvaniæ Hungarici olim Vajvodæ subjecti erant, ita Sedes Siculicales suum Comitem peculiarem venerabantur. Non raro hoc Officium coniunctum fuit, ab una eademque Persona administratum; quare etiam Principes illud sibi vendicarunt, ac pleniori titulo: *Vajvodæ Transilvaniæ*, *Partium Regni Hungariæ Domini & Siculorum Comites* vocari voluerunt. Hodiedum igitur Sedes Siculicales singulæ a Supremis suis Judicibus Regiis & Vice-Judicibus diriguntur, qui non solum Jurisdictionem domi exercent, verum etiam in publicis Provincialium conventibus voto suo commune Patriæ bonum promovere solent.

§. 9.

Fundus Regius a Saxonibus inhabitatur, qui in unam sic dictam Universitatem coaluerunt, a Comite Nationis Saxonicæ dirigendam. Pertinet huc 1mo Metropolis *Cibinium* cum Pagis 26. & 4 Possessionibus Nobilitaribus. Præterea Iurisdictioni Ejusdem subjacent etiam Bona sic dicta Septem Judicum, duæque Sedes Szelistye & Talmáts. 2do Cibinio apponuntur tres Civitates Communitatis: Corona, Media & Bistricium

um. Ex quibus a) *Corona* (Kronstadt) adjunctum hab Districtum Barcensem, 4. Oppida, 9. Pagos S xonicos & 13. Nobilitares Possessiones Urbis compl ctentem. b) *Media* in duabus Sedibus superiori & inf riori Oppida 5. & Pagos 21. distingvit. c) *Bistriciu* Districtum habet, 23. Pagos liberos & totidem Nob litares Possessiones, quæ vero posteriores a Distric Anno 1762. avulsæ & statui Militari Limitaneo appl catæ sunt, comprehendentem. 3tio Urbibus prædict septem Sedes adnumerantur, quarum Capita duæ U bes & quinque Oppida constituunt. Primo: Sed *Schæssburgensis*, præter Urbem Schæsburgum, (*Sege. vár,*) Oppidum unum Kizd & 14. Pagos complectitu Secundò: Sedes *Sabesiensis*, Urbem Sabesum, (*Szász-S bes*, Müllenbach,) cum 9. Pagis continet. Tertio: *Nag Sinkensis*, Oppida Nagy-Sink (Groß-Schenk,) & Agneth len (*Sz. Agatha*) cum 20. Pagis comprehendit. Quar to: Sedes *Rupensis*, Oppidum Rupes, (*Köbalom* Reps,) cum 17. Pagis complectitur. Quinto: Sedes *Lesch kirchensis*, Oppidum Leschkirch (*Uj-Egybàz,*) cum 11 Pagis continet. Sexto; Sedes *Mercuriensis*, Oppi dum Mercurium, (*Szeredabely*, Reißmarkt,) & decem Pagos habet. Septimo: Sedes *Szászvárosiensis*, Oppi dum *Szászváros*, (Broos,) cum 15. Pagis continet.

§. 10.

Sub Comite Nationis Saxonicæ, qui simul est Ju dex Regius Cibiniensis, dirigunt hasce Civitates, & Se des, ac Districtus Saxonicales speciales sui Magistratus Judex nempe cujuslibet loci Regius, cum adjuncto Sedis Judice, Villico, Senatoribus & Notario; præte hos Cibinium, Schæsburgum, Media, & Rupes suc quoque habent Consules, & Pro-Consules, ex quibu

Cibi

Cibiniensis nomen Consulis Provincialis meretur. Ordo vero, quo in publicis congressibus Inclitæ Universitatis Deputati se invicem sequuntur, hic est, ut Cibinium præcedat, sequatur Schæsburgum, Corona, Media, & Bistricium, (separata a reliquis Sessione, quod serius Saxonum Universitati fuerint incorporatæ,) porro Sabesum, Nagy-Sink, Mercurium, Rupes, Leschkirch & Szászváros.

§. 11.

Loca tandem Taxalia, ratione & Jurisdictionis, & Contributionis a cæteris separata, sunt sequentia: *Primo*: Districtus *Fagaras* præter Castellum et Oppidum hujus nominis Pagos complectens 62. Dein *Secundo*: in Comitatibus speciatim 1mo *Albensi* huc pertinet: Alba Julia seu Carolina (Karls Burg) Abrudbánya & Vizakna, 2do *Hunyadiensi* reperitur: Vajda-Húnyad & Hátzeg. 3tio *Colosiensi*, huc spectat Claudiopolis. *Tertio*: In Sedibus Siculicalibus speciatim, 1mo *Marusiensi* reperitur. Márus-Vásárhely, 2do In *Udvarhelyiensi*, Oppidum Udvarhely, 3tio In *Háromszek*: Kezdi-Vásárhely, Illyefalva, Sepsi Szent-György & Beretzk. 4to In *Csik* denique, Oppidum CsikSzereda.

§. 12.

Legales Transilvaniæ Nationes, Hungarica, Siculica & Saxonica, sub Regibus Hungariæ separatæ erant, quippe Hungarica Natio Locumtenenti Regis, sive Vajvodæ, Siculica vero Comiti Siculorum, sub Vajvoda tamen (qui utroque sæpe munere fungebatur) parebat, & Saxonica denique a solo Comite suo, Regi immediate subjecto, judicabatur. Cum vero Transilvania a Regno Hungariæ avelleretur, jussu Joannis de Zapolya, primi illius Principis, tres prædictæ Nationes in unum

... conveniunt, in Comitiis publicis, olim Albæ ... Mediæ, vel Claudiopoli vel alibi, hodie ... ordinarie Cibinii celebrari solitis, publica nego... Deputatis harum Nationum sub nomine Statuum ... Incliti Regni Transilvaniæ ventilari solent.

§. 13.

Primum in Comitiis locum hodie occupat Excelsum Regium Gubernium a Serenissimis e Domo Austriaca Principibus ita institutum, ut sub uno Gubernatore Regio, 12. Membra, sub titulo Consiliariorum (tribus scilicet ex qualibet quatuor receptarum Religionum, Romano-Catholica nimirum, Reformata, Evangelica, & Unitariorum electis) illud efficerent, suamque & in Patria, & apud Aulam Regiam, Cancellariam haberent. Sequuntur deinde sub Præside suo Status, i. e. Comites & Liberi Barones cum Regalistis, Deputatis Comitatuum, Sedium Siculicalium, Nationis Saxonicæ & Locorum denique Taxalium. Separatim vero consident Tabulæ Regiæ Judiciariæ, extra Comitia pro nunc in Marus-Vásárhely commorantis, litesque eo appellatas ventilantis, Assessores Præside suo & Protonotariis instructi. Conclusa in his comitiis publica, triplici Nationum muniuntur Sigillo, quorum unum, Comitatuum scilicet Hungaricorum, est in manibus Supremi Comitis Albensis, aquilam pro insigni gestans; alterum vero Sedium Siculicalium a Supremo Judice Regio Sedis Udvarhely asservatur, Sole & Luna conspicuum, & tertium denique Universitatis Saxonicæ, Comiti Nationis concreditum manet, septem Civitates exhibens. Inscriptiones singulorum tempore unionis desuper constitutæ ex sequenti schemate per... possunt:

Sigi...

Sigillum Comitatuum Transilvan.	Sigil. Nationis Saxonicæ.	Sigil. Nationis Siculicæ.

Nemes ha - rom nemzet böl ál - lo Erdély Orszàga.
i. e. Inclitum ex Tribus Nationibus consistens Regnum Transilvaniæ.

§. 14.

Licet vero Natio Saxonica hoc modo Hungaricæ & Siculicæ sit unita: separata tamen, quoad cetera, in munitis suis Civitatibus degit, omnes, qui Germanicæ originis non sunt, vi antiquissimorum Privilegiorum ab earundem excludens inhabitatione. Confluxus etiam suos Cibinii agit separatos, in quibus ea, quæ commodum Nationis afficiunt, expenduntur, res etiam seu causæ judiciales, a Tribunalibus inferioribus ad Inclytam Universitatem appellatæ, secundum normam Statutorum Saxonum Municipalium deciduntur, & sancita denique publica, Sigillo Nationis peculiari muniuntur, quod honorificam illam olim habuit inscriptionem: *Ad Retinendam Coronam.*

§. 15.

Immixti tribus legalibus hisce Transilvaniæ Nationibus plures populi vivunt alii, jure tamen Civitatis carentes. Referenda huc est, ratione multitudinis ceteris tantum non omnibus potior, Plebs Valachica, ex Dacorum, Gothorum & Romanorum, in his terris reliquiis oriunda, Dominisque suis terrestribus, in quorum Fundo degit, subjecta. Præterea in Transilvania toleratur Communitas Græcorum Cibinii præsertim & Coronæ, commorantium, Armenorum item in Ebesfalva præcipue, Szamosujvár & Sz. Miklos degentium, & Serviorum seu Sorborum Pagos aliquot Saxonicæ

ditionis incolentium, imo Bulgarorum etiam in Coronæ Suburbio & Alvintz habitantium, & Rascianorum per vicos hinc inde distributorum, ac colluvies denique Judæorum & Zingarorum per totam Regionem dispersorum.

§. 16.

Privilegiatæ in Transilvania Religiones sunt quatuor, prima illarum est Romano-Catholica, cui aliqui Hungarorum, plures Siculorum, paucissimi vero Saxonum sunt addicti; Uniti eidem sunt cum suis Episcopo & Popis ex magna parte Valachi, omnesque Armeni. Cura illius dependet ab Episcopo Catholico Albæ Juliæ cum suis Canonicis commorante, in Excelso autem Gubernio Regio sessionem & votum habente. Promovebant eandem hucusque familiæ Religiosorum, puta Jesuitarum, Claudiopolitana Academia, Parochiatu Cibiniensi& Coronensi, Jurisdictionem Archi-Episcopi Strigoniensis recognoscentibus, potentium; nunc autem Patres, quos vocant Piarum Scholarum, Mediæ & Bistricii Seminaria sua habentes& Franciscani, hinc inde, in Csik præcipue, per Conventus distributi.

§. 17.

Religio Reformata, privilegiatarum altera, inter Hungaros & Siculos floret. Celebriora horum Collegia sunt Enyediense, Agropolitanum & Claudiopolitanum, in quibus, ut & paucis scholis aliis, exempli gratia, Udvarhelyiensi, Clerus eorum efformatur, a Superintendente & Consistorio illi adjuncto moderari solitus, quibusdam solummodo Pastoribus Reformatis Capitulo huic, illive Evangelico-Lutherano adscriptis. Viget inter eosdem etiam Hungaros & Siculos Religio Unitariorum, tertia privilegiatarum, pauciores tamen in dies cul-

tores

teres conservans. Inhabitant isti, præter Pagos quosdam huic Religioni addictos, Claudiopolim præsertim, ubi & Superintendentem & Collegium suum habent, Basilica vero sua, seu Templo Cathedratico ante aliquot annos fuerunt exturbati.

§. 18.

Religionum privilegiatarum quartam, Evangelicam nempe, Saxones utplurimum, Sorbique omnes, pauci vero Hungarorum profitentur: Inter Gymnasia sive Seminaria Ministrorum, Sacra in illorum Templis, per urbes, Oppida & Pagos peragentium, qualia ubique, in Urbibus tamen præcipua habent, excellit Cibiniense & Coronense. Universitas vero Ecclesiastica, Clerum Saxonicalem comprehendens, in duas dividitur partes, ad quarum unam pertinent Capitula, Strigoniensis Archi-Episcopi ante Reformationem Jurisdictioni, addicta. Cibiniense nimirum cum filiabus Schenk & Leschkirch, & Coronense; ad alteram vero cætera Capitula referuntur, quæ olim Albensi Episcopo fuerunt subjecta. Hæc sunt 1mo Mediense, Ecclesias 15. comprehendens; 2do Bistriciense quod Ecclesias 24; 3^{tio} Antesilvanum quod Ecclesias 15. ac præterea surrogatias duas, nimirum: Szászvárosiensem Ecclesiarum 5. & Csekesiensem, Ecclesiarum 8. comprehendit. 4to Kyzdense Ecclesiarum 18; 5to Kozdense Ecclesiarum 27, in tria Contubernia divisarum, quorum superius 12, medium 8. infimum vero 7 Ecclesias continet; 6to Schelkense Ecclesias 12, cum duabus Surrogatiis: Transfrigidana, fratrum 5. & Quatuor villana, fratrum 4. complectens. 7mo Bolkátsiense Ecclesias 14; 8vo Bogátsiense Ecclesias 24; 9no. Régeniense Ecclesias 6; & denique 10mo Lászlense Ecclesias 5. comprehendens. Tota hæc Universitas unicum Superinten-

dentem veneratur, qui Birthalbini residet, jura Episcopalia exercet, & in Synodo, quovis biennio celebrari solito, præsidium habet, sub quo Decanus Cibiniensis oratorem, Syndicus vero Mediensis Syndicum Universitatis agit. Decanus vero Mediensis sub nomine Decani generalis rationes expensarum administrat.

§. 19.

Reliquæ per Transsilvaniam toleratæ Nationes varias Religiones profitentur; Plebs nempe Valachorum Romanæ Ecclesiæ non unitorum, itemque Cœtus Græcorum, Bulgarorum & Rasciorum Græcæ Ecclesiæ ritus sequitur. Armeni avitam suam Græcam Religionem, Eutychiana hæresi infectam, post ingressum in Transsilvaniam retinuerunt; tandem vero per Oxendium Episcopum Romanæ Ecclesiæ sunt uniti. Judæi sacra sua Carolinæ in abscondito habent, Zingari autem ad Valachorum inclinant Religionem. Denique etiam Secta Sabbathariorum inter Siculos & Anabaptistarum in Alvintz paucos Asseclas habet.

§. 20.

Transsilvania a tot Nationibus habitata, vini frugumque omnis generis adeo ferax, armentorum præterea & pecudum, ferarum denique, & avium, ac piscium ita est abundans, ut incolis suis, imo & vicinis haud paucis sufficiat alendis & recreandis. Laudem hanc fertilitatis extollunt beneficia naturæ, singularia plane & eximia. In his numeramus 1mo Copiam salis fossilis ad Dèès-Aknam, Kolos, Thordam, Vizaknam, Szèk, Parajd, & alibi passim obtinendam; 2do Metallorum copiam, puta: auri, argenti, plumbi, ferri &c. quorum montes tantum non omnes, præcipue vero

ad

ad Zalatnam, Abrudbányam, Rodnam, Thorotzko, item Hunyadienses & Siculicales, in Gyergyo, Csik, Udvarhely & Harom-Szek, ad Barciam usque; auri vero præsertim ipsi fluvii hinc inde sunt locupletissimi; 3tio Copiam Sulphuris, Cinabaris, Mercurii vivi &c. ex montibus Siculicalibus & Zalatnensibus eruendam; 4to Thermas & acidulas salutares inter prædictos montes metalliferos passim scatentes, ex quibus Thermæ Gyogyenses, in Comitatu Húnyadiensi, acidulæ vero in Gyergyó ad Pagum Ditro, in Udvarhely ad Száldobos & Lövete ac in Districtu Bistriciensi ad Rodnam &c. præcipue celebrantur.

§. 21.

Ex montibus Transilvanis diversi etiam promanant fluvii, navigabiles alii, alii vero innavigabiles; Navigabilium imus est *Aluta*, qui in radicibus montis Carpathi inter montes Csofronkö & Sipos in Siculicali Sede Gyergyó oritur & Siculiam permeat, partes Barciæ, Castrum Fagaras & Rubram Turrim alluit, ubi Valachiam ingressus, Danubium tandem prope Nicopolim subit. Alter est *Marusius*, qui in iisdem Alpibus inter Montes Fekete-réz & Magos in eadem Sede Gyergyó sitos, fontes habet, Transilvaniamque Meridiem versus permeans, Albam Juliam, Oppida Alvintz, Húnyad & Déva præterlabens, Hungariam ingreditur, atque tandem infra Szegedinum in Tibiscum se exonerat. Tertius denique est *Szamosius*, isque duplex, major alter e radicibus Alpium Bistriciensium, sub montibus Lapatna & Vurfful omuluj; minor vero e radice montis Kalatna inter Sebesvár & Bánffi Húnyad effluit; ambo aquas inter Szamosujvár & Dées miscent. Szamosius hinc Hungariam ingressus

sus Szathmarinum irrigat, ac tandem in Tibiscum se se inter Borda & Ersed defundit.

§. 22.

Fluviorum minorum seu innavigabilium præcipui sunt sequentes: 1mo Cochelius, Cicellus, seu Kükülló isque duplex. Major ex montibus inter Sedes Siculicales Gyergyo & Udvarhely sitis promanans, Schæsburgum & Mediam alluit; minor vero in Sede Udvarhely ortus, Kükülövár, cui nomen dedit, præterlapsus, majori ad Balásfalvám miscetur, ac paulo inferius cum eodem Marusium influit; 2do Chrysius ex triplici fonte, tres alveos ducens, quorum primus Fejér-Körös in Comitatu Zarandiensi ex montibus Vulkan dictis oritur, alter Fekete-Körös vocatus ex alpibus Biharinis profluit, & tertius Sebes-Körös dictus ex Comitatu Kolosiensi manat. Singuli hi Transilvaniæ partibus occidentalibus peragratis in Hungaria confluunt & in Tibiscum prope Csongrád effunduntur. 3tio Auratus prope Abrudbanyam ad montem Bihar ortus Thordam alluit, & supra Nagylak in Marusium influit. 4to. Sargetia seu Istrigy (Strell) ex valle Hátzeg effluit, & ad Pagum Arany Marusio miscetur. Præterea huc pertinent 5to Fluvii reliqui, qui locis, quæ alluunt, nomina sua dederunt, veluti Cibinius Cibinio, Bistricia Bistricio, Barcia Districtui Barcensi, Apulus (seu Ompoy) Apulo veteri, ad cujus rudera Alba Julia est excitata & Sabesus denique adjacenti Sabeso.

§. 23.

Fluviis Transilvanicis addimus Lacus & Piscinas Regionis insigniores. Ex illis primarius est, qui in Comitatu Dobocensi a Pago Katoná ad Pagum Sz. Ivány

rány usque, in duorum & quod superat milliarium ›ngitudinem se extendit; huic jungendus est lacus S. ‹nnæ in Sede Csik ejusque parte inferiori intra mon- ›s Tusnadenses reperiundus, ob profunditatem suam laris Oculus vocitatus, & ad duo fere milliaria in ›ngitudinem & latitudinem protensus; ex piscinis ve- ›, Muschnensis, Oltzonensis, & S. Agathensis, cum uribus aliis in fundo Regio sese piscium multitudi- › commendant; nec prætereundi sunt lusus naturæ ›riosiores, qualibus speluncas aliquas admirandas, in actu Coronensi, ad Almás etiam in Sede Udvar- ›ly & in vicinia Thordæ, fama celebratas, ac præ- r calidas, acidulasque, quarum supra mentio facta est, ›uas salutares, sulphureas etiam, quales in Csik ad ›áhfalvam, in Sede Mediensi ad Basznám, & in ali- › locis scaturiunt, numeramus; nec non salsas etiam ›assim propullulantes, ut & subterraneas ad Vizaknam ›gnantes huc referimus.



Sectio

Sectio IIda.

Ipſam exhibens Hiſtoriam antiquam

Caput I.

A diluvio usqve ad Imperium Romanorum in Tranſilvania ſtabilitum, id eſt ab Anno Mundi 1657. usque ad Annum poſt C. N. 105.

§. 24.

Hiſtoria Tranſilvaniæ antiqua fata ejusdem enarrat a diluvio ad irruptionem usque Hunnorum ex Aſia in Europam factam, ſive ab Anno Mundi 1657. usque ad Annum poſt C. N. 374. Tribus hæc commodiſſime diſtingvi poteſt temporum periodis, quarum

1ma) *Memorabilia complectitur a diluvio ad Imperium usque Romanorum in Tranſilvania ſtabilitum. Anno C. 105.*

2da.) *vero abhinc usque ad finem huic Regimini ab Aureliano Imperatore impoſitum procedit. Anno C. 274.*

3tia.) *denique viciſſitudines Tranſilvaniæ, quæ a fine Imperii Romani in eadem ad irruptionem uſque Hunnorum evenerunt, comprehendit. Ao. C. 374.*

§. 25.

Prima illa temporis antiqui Periodus, a diluvio ad ſubjugationem uſque Tranſilvaniæ per Romanos, commplectens Annos 2448, ab Anno, ſcilicet Mundi 1657 usque ad Annum Nativitatis Chriſti 105; omnium

omnium quidem maxima, sed insimul etiam est obscurissima, ita sane, ut de priori illius parte, quæ a diluvio ad expeditionem usque Darii trans Istrum susceptam procedit, certi fere nihil; de posteriori autem, quæ ab hac expeditione Persarum in Scythas tentatam, ad Triumphum usque Trajani a Dacis reportatum progreditur, pauca sane notatu digniora possint enarrari.

§. 26.

Inter Regiones Europæ, quæ primos ex Asia post diluvium incolas acceperunt, patriam quoque nostram haud postremam fuisse & vicinus ejusdem situs et fertile præ aliis solum credere jubent. Nihil tamen sub primorum hujus ævi annorum decursu specialius de eadem referri potest; nisi quod primum a Gomeriis, posteris nimirum Gomeri, filii Japheti natu majoris, qui postea sub nomine Celtarum & Galliorum inclaruerunt, habitata fuerit, aut potius peragrata, usque dum hi per Poloniam, Hungariam, Germaniam & Galliam in Hispaniam usque progressi insequentibus Scythis, posteris Magogi, filii Japheti junioris locum linquerent, quorum pars ex Asia derelicta ibi Scythia Asiatica, quippe quæ incolas suos comprehendere non posset, successive in Europam emigravit, atque a Ponto Euxino, inter Istrum & Terras Hyperboreas, ad Padum usque & Rhenum fluvium extensa nomen dedit Scythiæ Europeæ, quam alii Germaniam magnam nominare, alii arctioribus limitibus circumscribentes, a Sarmatia septentrionem, & a Germania proprie sic dicta, occidentem versus separare, maluerunt. *Vid. Josephi Antiquitates lib. I. Cap. 7. Hyeronimus, Theodoretus* & alii, in *Genes. Cap. 10. v. 2. Mela Lib. 2. Cap. 1. Cluverus, Lib. 4. Cap. 2. Cellarius Lib. 2. Cap. 5.*

§ 27.

Ex hac relatione, Scythæ, Cimmeriis Europa ejectis, fugientes hos persecuti, in Asiam iterata vice, Duce Madye Rege, irruperunt, in Mediam penetrarunt, debellatoque Cyaxare universa Asia sunt potiti, mox etiam armis victricibus in Aegyptum, superiori expeditione frustra tentatam, contenderunt, jamque in Palæstinam pervenerant, cum Psammetychus Rex Aegypti muneribus & precibus efficeret, ne ulterius progrederentur. Reversos ab hac expeditione Scythas, Medi, cum vi jugum eorum excutere non possent, dolo usi, liberalius invitatos vinoque sepultos interemerunt, finemque Dominii eorum, quod Annos 28. perpessi fuerant, fecerunt Anno M. circiter 3380., adeoque ante Christum natum ex calculo Usseriano 620.

§. 31.

Tertiam Expeditionem Scytharum in Asiam Justinus quidem commemoravit, nec tamen tempus, aut quidpiam memorabile illius indicavit. Factam eam esse ea tempestate, cum Astyages Cyaxaris filius, Cyri avus, rerum potiretur, jamque Cyrus in eo esset, ut, depulso avo, imperium penes Persas confirmaret, conjectura assequi vult *Math. Bel. in Prodromo Hungariæ antiquæ Lib. 1. Sect. 1. Cap. VII. §. 12.* & quidem Idanthyrso quodam Rege Scytharum, secundum Strabonis Geogr. *Lib. XV.* Reduces ab Asiatica hac, in qua octo Annos consumserant, expeditione, Scythas servili bello exceptos esse, idque non armis, verum flagellis ac virgis, aliisque servilis metus instrumentis componi potuisse tradit *Justinus Lib. 2. Cap. 5.* id, quod ex conjectura allata accidisse debuit Anno M. 3450. ante C. N. 550.

§. 32.

§. 32.

Quod Cyrus postea in Scythas movisse bellum raditur Massagetis in Scythia Asiatica degentibus, Reinæque eorum *Tomyri*, a qua demum victus est, latum fuisse cum Herodoto annotavit Strabo & Iuinus *Lib. II. Cap. 3.* Darii autem Hystaspis filii Anno 3483. in Regem Persarum electi, celebris illa utut ifelix expeditio trans Istrum suscepta, Scythas Euroæos petiit, injuriam nempe ulciscendi caussa, quam ledi æ ab iisdem illatam fuisse supra §. 30. fuit anotatum, nec tamen in universum, verum Regios ræsertim Scythas Darium adgressum esse, horumque egem *Idanthyrsum* octo alios Scytharum tribus §. 27. ecensitos, ad societatem belli invitasse, verum recusanbus ceteris, cum solis Gelonis, Budinis & Sauronatis arma junxisse narrat Herodotus *Hist. Lib.* 4.

§. 33.

Inchoato a Persis bello, Scythæ obturatis fontius, graminibusque corruptis, per earum gentium egiones, quæ belli societatem respuerant, ad Agahyrsos usque retrocedentes, Darium tergis insistentem n intimam Scythiam pertrahunt, eique terram & quam signa deditionis flagitanti, avem, murem, ranam x quinque sagittas mittunt, symbola pro litteris, indiantia, ex interpretatione *Gobriæ* Persarum Ducis: Persas, nisi ut aves subvolaverint in cœlum; aut ut mures terram subierint; aut effecti ranæ insiluerint in paludes, non remeaturos, verum sagittis confectum iri. Exercitu demum coacto, atque instructa acie Darium ita perterruerunt, ut noctu fugam capesseret, & vix tandem Istro per pontem, quem Ionibus tuendum

reliquerat, trajecto, insequentium Scytharum iram evitaret.

§. 34.

Gesta hæc Scythis, quos Regios nominari diximus, propria fuere. Altari certe & tertiæ eorundem in Asiam expeditioni, adeoque Medorum etiam vexationi (§. 30. 31.) memoratæ, Agathyrsos, regionis nostræ incolas, non interfuisse, ex illa patet responsione, qua societatem belli contra Darium ineundam respuisse dicuntur, apud Herodotum: Scythis nimirum Regiis objiciendo, quod sine se Persarum terras ingressi, ipsis soli, quoad Deus indulserit, imperitarint. Dario vero Scythas per diversas, ut dictum est, Regiones sequente, atque ad fines Agathyrsorum perducto, hos etiam, sententia mutata, junctis armis Persarum exercitui obstitisse idem auctor est Herodotus *Lib.* 4. unde fugientis etiam tergo eosdem inhæsisse, facile est ad conjiciendum.

§. 35.

Gentem Agathyrsorum ceterorumque a Scythis Regiis distinctorum populorum, peculiares suos habuisse Reges, exinde clarum satis est, quod non solum *Scopasis* & *Toxaris* Regum, extra Idanthyrsum, mentionem faciat Herodotus, verum etiam *Spargapithen* expresse Regem nuncupet Agathyrsorum. Vix igitur statui pro certo poterit, quorum Scytharum Rex fuerit *Athcas* ille, quem ab Istrianis (Donau-Völkern) bello petitum, a Philippo Macedonum Rege, Patre Alexandri M. promissa eidem Regni successione, auxilia efflagitasse, ubi vero promissis stare recusaret, & durioribus Philippum responsis lacesseret, ab eodem

eodem dolo superatum esse, refert Justinus, *Lib. IX. Cap.* 2. Sicuti minus etiam constat, quinam Scytharum fuerint illi, qui Zopyriona, Præfectum Ponti ab Alexandro relictum, universo cum exercitu delevisse, apud eundem Auctorem, *Lib.* 12. *Cap.* 2. dicuntur, & quinam denique illi, quos equestri prœlio ab ipso Alexandro M. superatos narrat Curtius, *Lib.* 7. *Cap.* 9.

§. 36.

Inter antiquiores Thraciæ populos Herodotus gentem nominat Getarum *Lib.* V. eosque a Dario, antequam ad Istrum pervenerit, devictos esse in narratione expeditionis illius commemorat *Historiarum Lib.* IV. Scytharum etiam Rex Idanthyrsus in oratione ad reliquos vicinorum populorum Reges, Getas confines sibi nominat, *loco cit.* & legati denique Scytharum ad Alexandrum missi, se a Tanai flumine ad Thraciam usque incolere asserunt apud Curtium, *Lib.* VII. *Cap.* 9. Ex hisce omnibus liquido constat, Getas Thracicæ originis populum, antiquioribus illis temporibus cis Istrum incoluisse, nec facile a Massagetis, qui ad Caspium Mare trans Araxen, aut Thiragetis, qui supra Borysthenem, aut Thissagetis, qui supra Tanaim ab antiquis Geographis locantur, ut a quibusdam factum est, derivari posse.

§. 37.

Sequentibus mox temporibus Getæ isti loca habitationis trans Istrum quæsivere, quippe ad cujus utrumque latus *Strabo* Geograph. *Lib.* VII. eosdem jam pridem incoluisse refert. Certe ante Herodoti etiam tempora, Getas sæpe trans Istrum commeasse

verosimile fit, tum ex vicinia locorum, tum ex eo, quod Agathyrsos ad Thracum consvetudinem accedentes, Herodotus nominet *Lib.* IV, unde, quomodo vicinas illas Regiones ex more illis temporibus usitato pedetentim intraverint, facile concipi potest. Inter occupatas igitur a Getis Regiones Trans-Istranas, Patria quoque fuit nostra. Getas hic degentes *Davos* & postmodum *Dacos*, jam olim appellatos esse; cum ii, qui propius ad Pontum habitabant, *Getarum* nomen retinerent, omnes vero eodem sermone, iisdemque moribus uterentur, Strabo annotavit, *l. c.*

§. 38.

Getæ Thracum fortissimi dicuntur apud Herodotum, ac pariter justissimi, qui mori se non putarunt, verum defunctos ad *Zamolxin* migrare. Fuerat hic discipulus Pythagoræ Philosophi, a quo ut & ab Aegyptiis, ubi aliquid cœlestium rerum didicisset, ad Getas populares suos reversus, ingenuis illos moribus imbuerat, Regique a consiliis & Iovis sacerdos constitutus, in spelunca habitarat, post mortem his de causis in Deorum numerum relatus. *Confer. Strabo Libr. Geogr. VII.* Num præterea Getæ, quod idem de illis auctor refert, ab animantium esu & uxorum consortio prorsus omnes, aut saltem sanctiores illorum, quod probabilius est, abstinuerint, in ambiguo, illud vero certum est, eos, ex veterum Scriptorum testimonio, continentiæ laude præ aliis fuisse celebratos. *Confer.* Herodoti *Lib V.* Pompon. Mela *Lib. II. Cap.* 2.

§. 39.

Prima Getarum trans Istrum mentio fit in Historia Alexandri M., qui priusquam Asiæ bellum inferret

ret circa Annum ante Christum natum 330. debellatis Thracibus, Istrum per scaphas & lintres trajecisse, Getisque trans flumen hoc habitantibus fugatis, urbem eorum occupasse dicitur apud *Arianum* Expeditionis Alexandri, *Lib. V. Cap.* 4. Alexandro deinde cum Persis occupato, Getas in Germaniam usque arma circumtulisse, brevi tamen regredi coactos fuisse, auctor est *Iornandes* de rebus Geticis, *Cap. X.* Illud quidem, quia non procul ab ostiis Danubii accidit, de Getis Ponto Euxino propinquioribus est intelligendum; hoc vero ad Getas Dacos, Regionis nostræ Incolas, quippe Germaniæ viciniores, propius pertinere videtur. Quin tamen illi his, & hi illis in expeditionibus misti fuerint, minime est dubitandum.

§. 40.

Alexandro demortuo, Thracia cum adjacentibus Regionibus, Lysimacho in sortem Regni obvenerat. Pacata illa Lysimachus circa Annum ante C. N. 283. Getas quoque domare adgressus, ab eorum Rege *Dromichete* captus, mox tamen sine lytro bona cum admonitione dimissus est, teste *Strabone Lib. VII.* *Plutarcho* in vita Demetrii & *Pausania* Histor. *Lib. I.* Decennio fere post Galli Macedoniæ imminentes Getas fugasse dicuntur apud Iustinum *Lib. XXV: Cap.* 1. ex cujus quoque relatione, longe postea, temporibus nimirum Philippi & Persei, Macedoniæ Regum, circa Annum ante C. N. 180. Daci soboles Getarum, *Orole* Rege, adversus Bastarnas male pugnarunt, quare ad ultionem segnitiei, capturi somnum, capita loco pedum ponere & ministeria uxoribus suis facere, iussu Regis cogebantur, usque dum ignominiam bello acceptam virtute delevissent. *Lib. XXXII. Cap.* 3.

§. 41.

Temporibus subsecutis Getarum Dacorumque inprimis nomen, in dies magis notum factum. Cum enim Thraces, , in quorum societate Getas quoque fuisse verosimile est, non solum sub Rege suo *Coty*, Perseo Macedoni contra Romanos auxilio fuissent, verum etiam devicti postea a Romanis, rebelles rursus, proximas Provincias infestarent, Ducesque adeo Romanorum eos repellere necesse haberent: Didius quidem intra Thraciæ fines eos se continere coëgit; Drusus vero ulterius agens, vetuit transire Danubium; Curio porro longius insuper progressus, Daciam tenus venit, tenebras tamen saltuum expavit, & Lucullus denique crudeliter in Getas sæviens, ad Tanaim usque est progressus, Anno ante C. N. 64. *videat. Florus* Histor. Rom. *Lib.* III. *Cap.* 4. *Eutrop. Lib.* VI. Verum adflictos tot cladibus Getas Rex *Boërebistes* reficere est conatus, collectoque magno exercitu, Istro trajecto, longe lateque in Macedoniam & Illyricum, comite Dycenæo magicis artibus dedito, parique cum Zamolxi illo auctoritate prædito, victricibus armis progressus, magnum sane Romanis terrorem incussit; mortuus tamen est, antequam a Populo Romano exercitus adversus eundem mitteretur. *Strabo Lib.* XVII.

§. 42.

Julio Cæsare Romanorum postea rerum potito, Anno circiter ante C. N. 46. Dacos in Pontum & Thraciam, Romanorum Provincias rursus infusos esse, refert *Suetonius Lib.* I. *Cap.* 44. & illos quidem coërcere constituerat Cæsar; verum variis rebus impeditum fuisse, dicit *Appianus*, de Bello Civili *Lib.* II. Quare

Daci

ıci impune grassantes, fama eousque inclaruerunt, ut ;gi eorum *Cotysoni*, Successor Cæsaris, Augustus fili- ı suam despondere, illiusque vicissim natam sibi in trimonium petere, nullus dubitarit; si verum est, ɔd scribit M. Antonius apud Suetonium, *Lib.* II. ı. 63. Cum vero hoc successu careret; Cotyso 'ro Provincias Romanorum infestare cum suis per- it, quorum scilicet mos erat, quoties concretus ı Danubius jungeret ripas, decurrere & vicina po- ari; ut refert *Florus Lib.*IV. *Cap.* 12. Magnumque e Dacos Romanis terrorem injecisse, testimonio Horatii *Ode* VI. *Lib.* 3.

§. 43.

Primus, cujus ope Augustus incursiones hasce re- mere conabatur, fuit M. Crassus, per Græciam & ıcedoniam ad Istrum missus, ubi devictis Mysis & ıarnis, subactis etiam Thracibus, Getas magnis in- mmodis affecit, teste *Dione* in Vita Augusti. Da- vero incursiones redintegrantibus, missus porro 'ersus eosdem est Lentulus, qui tribus eorum Du- ıs cum magna copia cæsis, ut dicit Svetonius . *II. Cap.* 21. ultra Danubii ripam illos repulit, 'a vero præsidia constituit. Et hoc modo Dacia ı quidem victa, sed summota atque dilata fuit, ut uit Florus *Lib. IV. Cap.* 12. Romæ gaudiis omnia ıleta fuisse hoc facto, testatur Horatii *Ode* 8. *Lib.* *III.* quod evenit Anno ante C. N. 30.

§. 44.

Sæpius sub successoribus Augusti, præsidia illa ısti sunt Daci, gensque eorum nunquam fida ea-

propter a Tacito appellata. Fecerunt id præcipue ſub turbis Vitellianis. Abducto enim e Mœſia exercitu Romano, prima rerum quieti ſpeculati; ubi vero flagrare Italiam bello accepere, expugnatis cohortium alarumque hybernis, utraque Danubii ripa potiti, jamque caſtra Legionum exſcindere parati fuerunt; niſi Mutianus ſextam Legionem oppoſuiſſet, Fontejusque Agrippa, additis e Vitelliano exercitu copiis, Mœſiæ præpoſitus fuiſſet, ut retulit *Tacitus*, Hiſtor. *Lib. III. Cap. 46.* Domitiani tandem temporibus Rex Dacorum *Decebalus*, circa Annum Chriſti 89. præſidia illa Romanorum trans Danubiana non tantum adgreſſus, verum etiam Appium Sabinum, Conſularem virum, & mox etiam Cornelium Fuſcum, Præfectum Prætorio, ingentesque eorum exercitus delevit, teſte *Suetonio*, *Lib. VIII. Cap. 6. Eutrop. Lib. VII. Confr.* Martialis, *Epigr. Lib. VI. Epigr. 76*, nec non Iuvenalis *Sat. IV. v. 112.*

§. 45.

Non obſtantibus hisce cladibus, Domitianum de Dacis duplicem egiſſe Triumphum, auctor eſt Suetonius, *loc. cit.* Factum id tum ex more Seculi illius, quo (ut Plinius in Panegyr. *Cap.* 11. loquitur) pulſi fugatique non aliud magis habebatur indicium, quam quod triumpharetur; tum vero, quod Julianus, cui cura belli gerendi mandata erat, congreſſus cum hoſtibus in Tapis, magnum eorum numerum concidiſſet, ex quibus Vezinas quidam ſecundum poſt Decebalum locum obtinens, cum vivus ſe in fugam dare non poſſet, de induſtria pro mortuo ceciderat, noctuque deinde clam profugerat. Decebalus autem ipſe veritus, ne Romani in Regiam ejus Zarmizegæthuſam irruerent, arbores, quæ prope erant, excidi mandavit, & arma

truncis

truncis imponi, ut hostes milites illos suspicati regrederentur, id quod actu evenisse refert Dio Cassius, & ex eo Xiphilinus in *Vita Domitiani*.

§. 46.

Neque tamen multum victoria hac profecit Imperator mollis & imbellis; quippe qui ad tributum annuum Dacis pendendum se adactum vidit, quo incursiones eorundem redimere ipse & Successor illius, *Nerva* necesse habuit. Gravatus hac pecunia *Trajanus*, Nervæ Successor, & quod animadverteret, copias Dacorum in dies augeri, animosque validius efferri, sub initium statim imperii sui, cum exercitu in eos est profectus. Cum non longe a castris illorum abesset: magnus a Barbaris circumferebatur fungus, latinis inscriptus litteris; erantque qui talia vociferarentur: *Socias gentes & Burros præcipue, monere & hortari Trajanum, ut pace composita retro domum abiret.* Hic tamen nihilominus conflixit magnamque cædem hostium fecit, licet ex suis quoque multos saucios videret. Pugnam hanc commissam esse tradunt in Campo cruciato, (Kreutzerfeld Kereſztes-Mező:) ad Thordam, qui hodienum etiam *pratum Trajani*, a Valachis nuncupatur. Mox ad editiora montium Trajanus victor contendit, indeque aliis, atque aliis collibus occupatis, non sine periculo ad Regiam pervenit Dacorum, quos Lucius Præfectus, ex altero latere adortus magno numero conciderat, ut refert Dio Cassius in *Vita Trajani*.

§. 47.

Victus his malis Decebalus continuo per primores illorum, qui pila gestabant, ad Trajanum missos,

pacem petiit, eamque impetravit, ea tamen ſub conditione, ut arma, machinasque bellicas cum illarum artificibus traderet, transfugas dederet, propugnacula dirueret, de regione, quam ex finitimis ceperat, decederet, & amicos hoſtesque eosdem, quos populus Romanus haberet, exiſtimaret. Deductus deinde ad Trajanum, humi proſtratus, Victorem eſt veneratus. Hic vero rebus hiſce circa A. C. 102 confectis, in Italiam eſt reverſus, Decebali legatos, quos ſecum duxerat, in urbem præmiſit, qui intromiſſi in Senatum depoſitisque armis & junctis manibus pauca ſupplices loquuti, confirmata pace, arma receperunt. Quo facto Romam ipſe triumphans eſt ingreſſus, *Dacicusque* ex eo tempore cognominatus, teſte *Dione* in Vita ejusdem, & numismatibus Trajani paſſim obviis.

§. 48.

Inſvetus ſerviendi Decebalus, multa ſtatim contra fœdus fecit. Quare biennio poſt pacem factam hoſtis iterum a Senatu Populoque Romano eſt renunciatus. Trajanus itaque qui pontem lapideum in Danubio faciendum curaverat, per quem copias, ſi quando Romanis trans Danubium commorantibus, conglaciato flumine bellum inferretur, facile traducere poſſet, ipſe rurſus cum exercitu in rebellem movit; parum vero abfuit, quin per ſubornatos a Decebalo transfugas in Mœſia fuerit occiſus. Cujus rei teſtimonium & apud Dionem invenimus, & Inſcriptio exhibet lapidaris, quam cum aliis tradidit *Tröſterus*, in Dacia nov-antiqua *Lib. I. Cap. 13. pag 58, & Samuel Timon*, in Imagine Hungariæ antiquæ *Lib. I. Cap. 16, pag. 136.*

I.) PRO-

I. PROVIDENTIA. AVGVSTI. VERE. PONTIFICIS. VIRTVS. ROMANA. QVID. NON. DOMAT. SVB. IVGVM. ECCE. RAPITVR. ET. DANVBIVS.

II. FORTVNAE. AVGVSTI. OMNIPOTENTI. VBI. ERAS. RHAMNVSIA. VBI. ERAS. QVANTVM. ABFVIT- NE. ROMA. LVGERET. SED VIVIT. TRAIANVS. VAE. TIBI. DECEBALE. . . MILES. LEG. VI. ET. XIII. G. DEVOTIS. CAPITIBVS.

§. 49.

Avertere belli injurias volens Decebalus per litteras petiit a Trajano, ut recepto Longino Duce, rei militaris peritiſſimo, quem ad colloquium evocatum per inſidias ceperat, ſecum reconciliari vellet. Trajanus vero eidem ita reſpondit, ut Longinum neque multifacere, nec contemnere prorſus videretur. Quare hic crudelitati Barbarorum ſeſe ſubtracturus ſumto veneno exſpiravit. Trajanus vero traducto ſtatim per pontem exercitu Daços bello perſequens, illudque ſecure magis, quam celeriter gerens, Decebalum ſtrenue quidem pugnantem, verum artibus bellicis Romanis multo inferiorem, eo tandem adegit, ut Regiam, regionemque ſuam omnem captam eſſe, cognoſcens, ne ipſe quoque in poteſtatem victoris perveniret, manus ſibi inferret violentas. *Videat.* Dio l. c. & Inſcriptio lapidaris apud Tröſterum, Reichersdorffium & Lenormantium Trunnianum reperiunda, quæ ſic habet:

VICTORIÆ. AUGUSTAE.
NONNE. TIBI. DIXI. DECEBALE. FVNESTUM
EST. HERCVLEM. LACESSERE. NON. RECT
FECISTI. TVA. IPSE. QVOD. JACES. MANV.
TE. UTCUNQVE. VICIT. CÆSAR. TIT. SEM-
PRONIVS. AVGVR. AVGVSTALIS.

§. 50.

Finita hoc modo expeditione caput Decebal
mam eſt delatum, Dacia vero juris & ditionis R
næ facta, quam mox Trajanus in Provinciam re
per Proprætorem, aut Pro-Conſulem regendan
per Legiones Romanas tutandam, qui etiam Th
ros Regios, quos Decebalus ſubter vada Sar
(Strell) amnis in fornicibus opera Servorum p
ne rem indicarent, occiſorum conſtructis, occulta
a Bicili captivo, cui ſoli res cognita erat, indi
invenit. Hujus rei fidem, (utut, qui cum *Köle*
in Auraria Romano-Dacica *pag.* 23. *ſeq.* contradi
non deſint) præſtat *Dio Caſsius*, in Vita Traja
Inſcriptio lapidaris apud Reicherſdorfium, Tröſte
Gruterum, Timonem & alios ita ſonans:

IOVI. INVENTORI. DITI.
PATRI. TERRÆ. MATRI.
DETECTIS. DACIÆ. THESAURIS.
CÆSAR. NERVA. TRAJANUS.
AUG. SAC. P.

§. 51.

Subjugatæ per Trajanum Daciæ, præter R
narum Rerum Scriptores, triplex ad noſtra

:a illustre superavit monumentum. Præcipuum
ı est *Columna* ex manubiis Dacicis Trajano vi-
!Populo Romano posita, ad cujus fastigium intus
3 gradus ascenditur; foris vero ex marmore
ɔ ad summum, gyro perpetuo bellum & victo-
ɪcica sculptis pulcherrimis simulacris, ostendi-
ɪorum brevem enarrationem *Zamosius* in Ana-
Lap. Vet. pag. 21. & ex illo *Tröstherus Lib.* I.
4. *pag.* 64; prolixiorem vero Commentarium
:t *Raphaël Fabrettus*, in Syntagmate, de Co-
Trajani, Romæ. 1683 & 1690, iterato in lu-
dito; item *Alphonsus Ciacconius* in Historia utri-
Belli Dacici. Romæ, 1587. ut & nuperrime *Si-*
Havercampus Morellii descriptionem ejusdem
næ A. 1752 edidit. Secundo loco huc referen-
Inscriptio lapidaris circa finem Seculi XVI. Al-
iæ eruta, quam tradit Tröfterus, Lenorm. Trun-
ı et Kölesérius in Auraria, *pag.* 29. hujus tenoris:

JOVI. STATORI.
HERCVLI. VICTORI.
M. ULP. NERVA. TRAIANUS.
CÆSAR. VICTO. DECEBALO.
DOMITA. DACIA. VO-
TUM. SOLVIT.

ɔstremum denique monetæ argenteæ exhibent,
rum adversa parte caput Trajani laureatum, cum
ɔtione:

P. TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P.

ɛrsa autem Dacus manibus post terga revinctis,
ɾachio caput innixus, aut Victoria clypeo inscri-

bens.

bens &c. viſenda eſt, cum literis in margine ſcrip
COS. V.P. P. S, P. Q. R. . OPTIMO. PRINCIPI.
& Inſcriptione: DAC. CAP. *Vid.* Mediobarbus,
Nummis Trajani.

C a p u t II.

Ab initio Dominationis Romanorum in Tr ſilvania per Trajanum ſtabilitæ, usq ad finem ejusdem ab Aureliano factam, Anno 105 - 274.

§. 52.

Daciam, ſecundum Ptolemæum, *Geograph.* l *III. Cap. 8.* ab occidente Tibiſcus, a meridie Da bius, ab oriente vero idem flumen, hic Iſtri nom veniens, & Hyeraſus fluvius, a ſeptentrione deni montes Carpathici terminarunt, eamque a regi Iazygum, Mœſia inferiore & ſuperiore, denique S thia minore ad Pontum, & Sarmatia ſecrevern Regionem hanc, quæ hodiernam Taranſilvaniam circa eandem partem Hungariæ, Valachiam & Mol viam fere integram eſt complexa, habitarunt illis te poribus XV. diverſi Getarum populi, uno nom *Daci* a Romanis appellati. Civitates eorum inſign res Ptolemæus l. c. numerat XLIII. quarum ca fuit *Zarmizegæthuſa.*

§. 53.

Totam hanc Regionem Trajanus in Provinci convertit Romanam, Anno C. 105. ac ſtatim ur in illa condidit, coloniasque introduxit teſte *Dio*

in Vita Trajani. Diviſam illam fuiſſe in *tres Dacias* peculiares & Inſcriptio ſecundum Köleſeriam in Auraria, *pag.* 43. Albæ Iuliæ Anno 1717. eruta loquitur, & crebra earundem in Inſcriptionibus & relationibus aliis facta mentio confirmat. Prima illarum dicta fuit *Dacia Ripenſis*, intra Tibiſci & Maruſii ripas ſita, adjuncta ad ripas Danubii. citeriores contigua regione partem Hungariæ Tranſilvaniæ viciniorem complexa: altera trans Alutam & Alpes orientem ſpectans atque ſeptentrionem, vocata fuit *Dacia Alpeſtris*, quæ in Inſcriptione a Zamoſio *pag.* 33. adlata, *Collia* nuncupatur, hodiernam Moldaviam & Valachiam continens: & quæ has duas interjacet Dacias, *Mediterranea* eſt adpellata, hodiernam Tranſilvaniam potiſſimum complectens.

§. 54.

Coloniarum, quas Trajanus in Dacia conſtituit, præcipuæ fuerunt *Vlpia Trajana & Apulenſis*. Illam Imperator *Zarmizegæthuſam* introduxit, quæ ipſa urbs ad Sargetiam fluvium ſita, Vlpiæ Trajanæ nomine fuit adpellata, cujusve rudera hodienum etiam in Valle Hatzeg ad viculum Valachorum Gradiſka, ſeu, Várhely *i. e.* Arcis locus, nuncupatum videntur: hanc vero Apuli conſtituit, cujus urbis, quæ Regia inter Dacos, Prætoria inter Romanos fuit, veſtigia, & Albæ Iuliæ, cum hæc in Carolinam mutaretur, ſunt detecta, & longo ſatis hinc intervallo hodienum conſpiciuntur. Inſcriptiones utramque Coloniam palam loquentes, complures tradidit *Zamoſius* in Anal. Lapid. *pag.* 10, 18, 27, 54, 58. ex quibus duas hic attuliſſe ſufficiet.



I.) IMP. CAES. DIVI. NERVAE. F.
TRAIANO. HADRIANO. AVG.
PONT. MAX. COS. III. P. P.
CVIVS. VIRTVTE. DACIA. IM-
PERIO. ADDITA. FELIX. EST.
M. ARRIVS. Q. R. COL. VL-
PIAE. TRAI. ZARMITZ.
DEVOTVS. NVMINI. EIVS.
EX. VOTO. P.

II.) AVRELIAE.
APOLLONIAE.
T. AEL. LVPVS.
EQ. R. PONTIF.
ET. II. VIRAL.
COLONIAE.
APVLENSIS.
MATRI.
CARISSIMAE.

§. 55.

Minores fuerunt Coloniæ reliquæ, quarum Dio Caſſius & Ulpianus *Leg*. I. §. 9. mentionem faciunt. Ille quidem, præter Apulenſem & Ulpianam, Coloniam *Aquarum vivarum* & aliam *Perendaneſiorum* allegat; hic vero Coloniam *Zernetenſium* a Trajano deductam Juris Italici fuiſſe dicit, pariter ac *Napocenſem*, Aquas vivas Tröſterus *pag*. 150. ad vicum *Aranykut* locavit, qui non procul diſtat Claudiopoli, ubi *Timon* in Imagine Hungariæ antiq. *pag*. 140. Inſcriptionem repertam eſſe tradit, quæ de Municipio loquitur, in

quo

quo milites conſtiterint, & aliam, quæ *Coloniam* Trajani *ſextam* ibi fuiſſe indicat. Perendaneſios vero eosdem fuiſſe autumat, quos Ptolemæus, *Perendavenſios* nominavit & *Napucam* incidere in Novam arcem, quæ a Szamoſio nomen habet. Zernetenſium denique Coloniam Cellarius ad *Zernetest* (melius *Zernest*) inter Coronam & Cibinium, Köleſerius vero in Auraria, *pag.* 39 in Ripenſi Dacia ad locum Valachiæ terminalem *Tsernetz*, quod & Severinum dicitur, locavit, eamque ibi, & ad Pontis Trajani cuſtodiam, & ad aurum ex Daciis tuto in Italiam deportandum, conſtitutam eſſe credit.

§. 56.

Quas præterea Trajanus in Dacia urbes condiderit, non liquet, niſi forte inter illas referre velimus *Ulpianum*, *Prætoriam Auguſtam* & *Salinas*, quas Ptolomæus, ſub Antonio ſcribens, notavit, adeoque jam a Trajano conditas eſſe probabile eſt. *Ulpianum* ab hoc Geographo ſubter Ruconium locatur, adeoque, ſi hoc Rodnæ, illud Biſtricio quadrare videtur. *Salinis* Thorda reſpondet, ubi etiam nunc rudera illarum videntur, *Auguſtam* vero *Prætoriam* Oppido *Kézdi - Vásárhely* congruere, ex Magino autumat *Timon* in Imag. Hung. antiquæ, *Lib.* I. *Cap.* 15. *pag.* 130. *ſequ.*

§. 57.

Quæ præterea in Tranſilvania hinc inde cernuntur rudera, Romanam quidem indicant ætatem, num vero ad Trajanum, vel Succeſſorem aliquem illa ſint referenda minus conſtat. Eo pertinent veſtigia urbis celebrioris non procul a Zlatna reperiunda, quæ Köle-

ferio in Aurar. *Cap.* I. *pag.* 22. *Patroissa*, cujus nunc vicinus vicus *Petrisan* referat; Zamosio v Zarmizegetusa esse videtur. *Analect. pag.* 68. Rudera Salisburgum cernenda pro reliquiis *Zandavæ*, Zarmizegetusæ, ut alii scribunt, immo etiam *Zetindi* communiter haberi solita: indicia aurariarum a Ro nis & procul dubio a Trajano jam institutarum, p cipue ad Abrudbányam reperiunda; & reliquiæ d que viarum lapidibus stratarum, quales a Zarmize thusa duæ olim exiverunt; altera in *Daciam Alpestr* tendens Danubium versus, altera per oram Sarge & Marusii usque ad Apulum et inde Salinas perc rens, unde una trans Marusium ad Marus Vásárhe altera Claudiopolim versus, & insuper una a Foro culorum ad orientem vergit, cujus vestigia advert euntes ad Mikházam, ut inquit *Timon* in Imag Hung. ant. *Cap.* XVI. *pag.* 141. Viarum harum m moriam retinuit inscriptio, quam tradit Zamosius C V. *pag.* 33.

C. CVRT - -
OLIVS. TROGVS - -
VIARVM. CVRANDARVM -
QVAESTORI. VRBANO - -
INTER. TRIBVNITIOS. ADIV. DAD.
PRAETORI. PEREGRINO. III. III. VIRO.
TVRMIS. DVCENDIS. PRAEF. VMENI. DAIDI.
CVRATORI. VIAE. CLODIAE. ANNIAE. CASSIAE.
GIMINIAE. LEG. IMP. ANTONINI. AVG. PII.
LEG. XXX. VAL. VICT. PROCON. PROVINCIAE.
COLLIAE. LEG. PRI. IMP. ANTON. AVG. PII.
PROVINCIAE. DACIAE.
COL. VLP. TRAIANA. DACIC.
SARMIZEG. PATRONO.

§. 58.

Ad tutandam hanc Provinciam noviter imperio Romano adjectam *Legiones* per Colonias a Trajano fuerunt constitutae. In inscriptionibus mentio fit Legionis I. Adjutricis, V. Macedonicae, VI. Victricis, VII. Claudiae, XXX. Valentis Victricis; frequentissime vero in lapidibus Dacicis occurrit *Legio XIII. Gemina, i. e.* ex duabus aliis conflata. Testibus iisdem monumentis Legio haec Gemina *Ulpiana* etiam dicta, fauces illas, quae hodie a Porta ferrea nuncupantur, observavit. Legio vero VII. & I. Adjutrix, Jazygibus fuerunt oppositae, & XXX denique Daciam Alpestrem contra Barbaros defendit, partem Daciae Septentrionalem Carpatho monte tutante. Inscriptiones huc pertinentes reperies apud Gruterum, Reinesium, Sponium, Lenorm. Trunnianum & praecipue Zamosium *pag.* 33. 85. *&c.* ex quo sequentes adduxisse sufficiat:

I.) P. AEL. P. F. P. P. MARCELLO.
V. F. P. P. EX. PRAEF. LEG.
VII. CL. ET. I. ADIVTR.
PR. IV. CI. PE. PER. *Caet. desunt.*

II.) I. O. M.
IVL. PRIMUS.
B. LEG. XIII. GE.
V. S. L. L. M.

i. e. Vivens sibi locavit locum monumenti.

§. 59.

Legionibus hisce, imo toti Provinciae Trajanus primum praefecit Propraetorem, *M. Scaurianum*, qui

etiam Procurator fuit Collegii Aurariarum, quod janus in Dacia conſtituerat ad laborem operari metallicorum dirigendum, cujus uti & Offici ejusdem præcipuorum, nempe Præfecti, ſive P ratoris & Patroni, Subprocuratoris & Decurionis que Triumvirorum Monetalium, Coactorum au ſtralis *i. e.* quovis luſtro Romam deportandi, & ſtorum *&c.* frequentiſſima in lapidibus mentio reperitur. Teſtes ſint ſequentes Inſcriptiones ex ſerii Auraria, *Cap.* 1. *pag.* 13. *ſeq.* deſumtæ

I.) I. O. M.
ROMULO. PARENTI. MARTI.
AVXILIATORI. FELICIBVS. AVSPICIIS.
CAESARIS. DIVI. NERVAE.
TRAIANI. AVGVSTI. CONDITA.
COLONIA. DACICA. SARMITZ.
PER. M. SCAVRIANVM.
EIVS. PRO. PR.

II.) SPEI. VIRTVTI. VICTORIAE.
D. D. D.
QVARVM. NVMINE. PROSPERITAS.
ET. HONOR.
IMP. CAES. TRAIAN. SVCCESSV. FELICI.
AVCTA. SVNT.
Q. AXIVS. AELIANVS. PROC.
NVMINI. EIVS. L. D. D. D.

III.) LIBERO. PATRI.
TIB. CL. RVFVS.
DEC. COL. ET.
FLAMEN.
MVN. APVL.

IV.) C. CVRTIO. C. F.
POLLIA. RVFIN.
TRIBVNO. LATICL.
LEG. XIII. GEM. III. VIR.
A. A. A. F. F.
COL. VLP. TRAIAN.
DACIC. SARMITZ.

V.) D. M.
P. AELIO. T. F. QVAEST. R.
AVRI. LUSTRALIS. COACTORI.
AC. CIVITATUM. VOLMERII. ET.
PETOVII. CURATORI. Q. LAE-
LIVS. AESOPVS. B. M. M. P.

i. e. Bene Merenti Monumentum posuit.

§. 60.

Daciam hoc modo constitutam infinitis copiis hominum, ut Eutropius *Lib.* VIII. *Histor. Rom. Cap.* III. loquitur, ex toto Orbe Romano, ad agros urbesque colendas eo translocatis auctam, & contra impetus vicinorum Barbarorum tutatam, splendidiores in ies, Romanisque ceteris Provinciis similiorem reddiit Trajanus. Testantur id indicia Basilicarum, Tem-

plurium, Amphitheatrorum, Balneorum, Aquæducti um, &c. inter rudera urbium detecta, immo Statu etiam Deorum Dearumque gentilium, quarum aliqu nostra quoque vidit ætas, mentionem vero exhibe Inscriptiones lapidares. *Confr.* Zamosius *pag.* 27. 3 40. Memoriam felicioris hujus Daciæ Status retine nummi Trajani complures, *Securitatem*, *Felicitate Abundantiamque Daciæ* referentes. Ex Inscription bus huc pertinet ea præcipue, quæ supra §. 54. e allata, cui addi potest sequens apud Zamosium *pag.* 6.

I. O. M.
ET. IVNONI. RE
GINAE. T. CL.
ANICETVS. AVG.
COLONIARVM. TEM
PLVM. VETVSTATE.
COLLAPSVM. A. SOLO.
RESTITVIT.

§. 61.

Successor Trajani, *Aelius Adrianus* ob mult in Imperio Romano exortas rebelliones, Provinci ab Italia longe dissitas complures dereliquit. Ide de Dacia facere volentem amici deterruerunt, ne c ves Romani ibidem incolentes Barbaris traderentu *Vid.* Eutropii *Lib.* VIII. *Cap.* 3. Passim tamen h militem ex Daciis eduxit, & superiorem aquis em nentem structuram pontis illius celebris Danubial circa A. C. 120. dejici curavit, metu scilicet præte so, ne Barbarorum copiæ Provincias Romanas tra Istrum sitas invaderent, revera autem, quod sic

decr

decreta, ita etiam monumenta magnitudinis Trajani annihilare nitteretur. Daciam vero M. Turboni, Mauritaniæ quondam Præfecto, tuendam tradidit. *Conf.* *Dio Cassius*, in Vita Trajani & Adriani. *Xiphilinus* in Vita Trajani. *Sextus*, in Breviar. Histor. *Iornandes*, de Regnorum Successione, *Lib. I.* *Spartianus*, in Vita Hadriani. Nomen hujus Imperatoris in diversis superest Inscriptionibus. *e. gr.* in sequ.

IMP. CAES. DIVI. TRAI.
PARTHICI. F. DIVI
NERVAE. NEPOTI.
TRAIANO. HADRIANO.
AVG. PONTIFICI.
MAXIMO. TRIB.
POTESTA. II. COS. II.
P. P. COL. VLPIA. TRAIA
NA. AVG. DACICA.
SARMITZ.

§. 62.

Qui ab Adriano adoptatus successit in Imperio Romano, A. C. 145. *Antoninus Pius*, Dacos rebellantes per Præsides & Legatos contudisse dicitur apud *Julium Capitolinum* in Vita hujus Imperatoris. Ex hisce Legatis procul dubio fuit Cajus Clodius, quem Præfectum militiæ Dacorum Iazygorumque fuisse, & Statuam in Auraria Numini, Majestatique Titi Aelii Adriani, Antonini Pii, & Anniæ Faustinæ conjugi locasse indicat Inscriptio, quam tradit *Zamosius pag.* 11. & *Kölescrius*, in Auraria, *Cap. I. pag.* 17., cui addi etiam, testibus aliis Inscriptionibus, potest Russinus,

Surrianus, Rustrinus Sulpitianus, Annius Italicus, alii. Indicio sit sequens Inscriptio, apud *Zamosium pag.*

IMP. CAES.
T. AELIO. ANTONINO.
PIO. AVG. PONT. MAX.
TRIB. POT. XVI. P. P.
CVIVS. NVTV. ET. AVSPI
CIIS. PROVINCIA. DACI
CA. GVBERNATVR. M.
SVRRIANVS. PR. PR.
NVMINI. EIVS.

§. 63.

Sub *M. Aurelio Philosopho*, *Pii* circa A. 1 Successore Provinciam Dacicam gubernavit Cajus tilius Cecles, cui tanquam Proprætori Daciæ, L toque Imperatoris Cæsaris, M. Aurel. Antonini A sti, honorum omnium candidato, Præfecto Leg. X Geminæ, donato sacra corona murali, ob rem f ter gestam in expeditione Dacica, S. P. Q. Vlp. jan. Zarm. Patrono de Republica bene merito numentum posuit, ut testatur Inscriptio, quam tr *Zamosius* in Anal. *pag.* 45. cui jungemus aliam dem Imperatoris nomen referentem, quæ sic h apud *Zamosium. pag.* 27.

I. O. M.
ET. FORTVNAE. SECVNDAE.
CAES. M. ANTONINI. IMP.
M. LICINIVS. COR. II. VIR.
COL. DAC. ZARMITZ. ET. FLA
MEN. DIALIS. SIGNVM. IO
VIS. EX. VETVSTATE. RE
STITVIT.

S

§. 64.

Qui M. Aurel. Antonino Philoſopho Anno 180. ſucceſſit, *L. Commodus*, vitam egit mollem & parum Imperatore dignam, victos tamen ſub eo per Legatos ſuos dicit Dacos, *Aelius Lampridius*, in Vita Commodi. Fuerunt forte hi Legati Albinus & Niger, quos ex bellis cum Barbaris ultra Daciam incolentibus magnam ſub hoc Imperatore gloriam conſecutos eſſe, refert *Xiphilinus* in Vita ejusdem. Nomen hujus Imperatoris legitur in Inſcriptione Dacica ſequ.

LIBERO. PATRI.
SACRVM. PRO.
SALVTE. IMP.
CAES. M. AVR.
COMMODI.
ANTONINI.
AVG. P. P. P. L.
CALVISIVS. L. F.
VELINA. SECVN
DVS. FALERIONE.
P. P. LEG. XIII. GE.
SVB. VESPRONIO.
DIDICO. DEDIC.
AEL. FIL'IO. SA. IO. L.

§. 65.

Helvius Pertinax Commodi Succeſſor, Anno 192. antequam Imperator factus eſſet, Daciæ Regimen tenuiſſe beneque hanc Provinciam adminiſtraſſe dicitur, apud *Julium Capitolinum*, in Vita ejusdem. Quis

vero, Imperatore eo facto, Daciæ præfuerit, non magis liquet, quam quis sub *Severo*, ultimo seculi 2di. Imperatore, habenas imperii A. 193. capessente, hoc munere functus fuerit. Nomen tamen hujus Imperatoris in Dacia refert Inscriptio, quam tradit Zamosius *pag.* 27. sequentis tenoris:

DIVO.
SEVERO. PIO.
COLONIA. VLPIA.
TRAIANA. AVG.
DACIC. SARMITZ.

§. 66.

Sub initium Seculi III. (circa Annum 200) mentionem Gothorum factam reperimus apud Scriptores Histor. Augustæ. Sunt qui hoc sub nomine indigitatos velint Getas illos priscos, Dacos deinde nominatos: potiorum tamen et eruditiorum ea est sententia, Nationem Gothorum diversam plane a Getis, sive Dacis, utpote origine Thracibus, ex Scandinavia Septentrionali successive erupisse et peragrata Sarmatia Daciam, deinde Mœsiam, Thraciam, postea Pannonias etiam, cæterasque Romanorum Provincias longe lateque infestasse. *Vid.* Timon in *Imag. Hungar. antiq. Cap.* 16. *pag.* 145. Belii *Prodromus Hungar. antiq. Lib.* 2. *Cap.* 3.

§. 67.

Patrocinantur huic sententiæ tum Iornandes ipse Gothicæ Nationis Scriptor, de Rebus Geticis, licet is studio Nationis suæ omnia antiquorum Getarum imo Scytha-

Scytharum etiam praeclare facta, suis Gothis tribuit, parum sane convenienter: tum haud infrequens Scandinaviae apud scriptores appellatio, qua vagina Gentium audit: tum nomen Gothlandiae hodie adhuc in Septentrionali illa Regione superstes: tum denique quod non probabile sit, Dacos bellis attritos, tantae magnitudinis exercitus, quales Gothis tribuuntur, educere, orbem terrarum vastare, et incolis novis replere potuisse, quod omne a Gothis quidem ita factum est; cum contrariae sententiae Patroni, nil nisi convenientiam denominationis Getarum et Gothorum, adferre posse videantur.

§. 68.

Qui sub initium Seculi III. Romano Imperio potitus est, *M. Aurelius Antonius Caracalla*, ad Orientem tendens in Dacia resedisse, deinde Gothos tumultuariis praeliis devicisse dicitur apud *Aelium Spartianum*, in Vita ejusdem. Fuerunt hi primi Gothorum advenae, in Septentrionalibus Daciae partibus se retinentes. Nulla enim praeterea eorundem mentio facta est sub Caesaribus proxime secutis. Quosdam tamen Gothorum huc illuc emigrasse, sedesque fixisse, vel hoc indicio est; quod Maximinus Thrax Anno 235. rerum potitus, patre barbaro, Gothia oriundo, in vico Thraciae vicino natus fuisse, cum Gothis etiam commercium exercuisse, ab iisque quasi civis eorum amatus fuisse dicatur apud *Julium Capitolinum*, in Vita ejusdem, & hos eosdem idem auctor in vita Gordianorum indigitasse videatur, cum horum tertium, quidquid in Thracia hostium fuerit vicisse commemorat, atque expulisse, quippe quem milites in Epitaphio illi posito nominavere victorem Gothorum. Nomen Gordiani diversa

in Dacia Inscriptiones retinuerunt, qualis sequens est apud Zamosium *pag.* 10.

IMP. CAES.
M. ANTONIO. GOR
DIANO. PIO. FELICI.
AVG. PONTIF. MAX.
TRIB. POT. II. COS. P. P.
COLONIA. VLPIA.
TRAI. AVG. DACIC,
SARMITZ. METROP.
DICATISSIMA. NV
MINI. MAIESTATI
QVE. EIVS.

§. 69.

A *Philippo*, Gordiani Tertii, circa A. 242. interfectore & Successore, Daciam Privilegiis donatam esse & libertatibus, silente Historia, ex nummis hujus Imperatoris Vaillantius ostendit *Tom. I. Numis. Imp. Rom. pag. 158.* Factum id esse autumat, ut Daci pacati barbaros, Romanas Provincias depopulantes, abigerent. Fuerunt in his procul dubio & Gothi, quos Iornandes *de Rebus Geticis*, sub hoc Imperatore Danubium transiisse, Mœsiamque devastasse, scribit, sociis compluribus militibus Romanis, qui illis se junxerant, quoniam Decius, Præfectus eorum, gravius in illos animadvertisset. Decio vero Aó. 250. rerum potito, Gothi in Thracia circumventi, male ab illo habiti fuere, mox tamen eundem alio prœlio devicerunt, Deciumque ipsum, ut in voraginem, ne præda

præda hostium fieret, præcipitem se egerit, adegerunt. *Vid.* Cassiodorus, Victor & Lætus, in Decio. Memoriam Decii conservavit lapis Dacicus sequenti Inscriptione:

IMP. CAES. M. CN.
MESS. QVINTO.
TRAIANO.
DECIO. P. F. AVG.
P. M. TRIB. POT.
II. COS. II. P. P.
RESTITVTORI.
DACIARVM.
COL. NOVA. APVL. S.

§. 70.

Audaces hac victoria Gothi, Aõ. 257. *Trebonianum Gallum*, Decii Successorem, ad tributum annuum coëgerunt pendendum. Nihilo tamen minus Istro transmisso, Provincias Romanas depopulando in Asia, ad Cappadociam usque sunt progressi. Aegre tamen ab Aemiliano, Galli Duce, globus eorum quidam Græcia est ejectus. Hic tandem *Aemilianus* victoria potitus, tributum Gothis solvendum inter milites distribuit, & hanc ob caussam ab exercitu Romano mox Imperator est proclamatus Aõ. 254. Teste *Zozymo Lib. I. Cap.* 27. at post breve regimen Aõ. 259. occisus est, testibus Eutropio, Victore, cæterisque Rom. Histor. Scriptoribus.

§. 71.

Sub *Galieno* Valeriani filio & Successore, Dacia amissa, deinde Græcia, Macedonia, Pontus &

Asia

Asia vastata per Gothos dicitur apud Eutropium *Lib. IX. Cap. 6.* Satis inde liquet Gothos a Da diversos maxima mDaciæ partem occupasse (totam eni sub Aureliano demum a Romanis relictam, infra m morabimus) & hinc trans Istrum erupisse, ubi s cundum Zozymum *Cap. I. Lib. 28.* Græcia occupat tribus continuis annis in Asiam excurrerunt, templur que Dianæ Ephesinæ spoliarunt, reduces demum i cti occupatis Thraciis, Macedoniam & Thessalia vastarunt. Dacos sane a Gothis distinctos fuisse, hc etiam indicat, quod hoc tempore *Regilianus* in Ill rico seditione militum Imperator declaratus, Dacic gentis ipsiusque Decebali ex affinitate fuisse, dicat apud *Trebellium Pollionem*, in Vita Regiliani Tyrann

Claudio Imperatore facto, circa A. 265. trecent millia Gothorum, reliquis septentrionalibus barbar junctorum, duobus millibus navium Istrum transiv runt, Romanasque Provincias longe lateque sunt dep pulati. Quin Daci etiam in illorum exercitu fuerin sane non est dubitandum: cum omnes gentes, Sc thas denique ipsos contra Romanos excitasse, apu Pollionem dicantur. Iteratis vero eos prœliis devic Claudius, præsertim per Aurelianum ducem & poste successorem suum, ita quidem, ut plerisque barbar rum Regibus captis, servis Gothicis omnes fere Pr vinciæ Romanæ implerentur, multi fuga elapsi, in Ha mo monte, quo se receperant, fame pesteque periren *Vid.* Trebellius Pollio, in Vita Claudii, Flavius V piscus, in Aureliano. Hac victoria Claudius Daciam etiam a barbaris occupatam recuperavit, quod annota vit *Pomponius Lætus*, in Vita ejusdem.

§. 7

§. 73.

Aurelianus ex Dacia Ripenſi oriundus, Imperator factus, hinc inde Gothos arma reſumentes perſecutus eſt, et inter alias ab iisdem reportatas victorias, Ducem eorundem *Canabaud*, cum 5000 hominum, trans Danubium, ſive in Dacia, interemit. Aliis vero poſtea bellis diſtractus, cum, vaſtatis Mœſia & Illyrico ingraveſcente Barbarorum multitudine, Daciam retineri poſſe deſperaret, ſublato ex eadem exercitu eductisque Provincialibus; Romana ſcilicet ſtirpe oriundis, Aó. 274. illam dereliquit. Abductos vero ex urbibus & agris Dacicis Romanos, in media Mœſia collocavit, appellavitque eam Daciam, duas Mœſias inferiorem & ſuperiorem dividentem „ *Aurelianam*. *Vid*. Eutrop. *Lib*. *IX*. *Cap*. *9*. & Vopiſcus in Aureliano.

§. 74.

Hic finis fuit Imperii Romanorum in Dacia per Trajanum olim ſtabiliti, variaque ſub Succeſſoribus viciſſitudine, per ſeculum unum & dimidium continuati. Non tamen omnes in univerſum Romanos Colonos Dacia eductos fuiſſe; verum haud paucos inferioris ſortis in eadem remanſiſſe, hodierni Valachi demonſtrant; quippe quos reliquias Coloniarum Romanarum eſſe, & lingva & nomen, quo ſemet ipſos inſignire ſolent, oſtendunt. Commixti ſcilicet illi Dacis indigenis, qui in inſtituta & mores eorum penitus transierant, inter eos remanſerunt, barbarisque Nationibus in dies magis irruentibus cedentes, ad montana Daciæ loca, quæ hodienum etiam poſſident, ſeſe receperunt. *Confr*. Köleſerii Aurar. *Cap*. 1. *pag*. 44.

§. 75.

§. 75.

Nomen Valachorum male a Pomponio Flacco Mœsiæ Præfecto, quidam derivare conati sunt, quos refutat Tröstérus in Dacia Nov-antiqua *Lib.* IV. *Cap.* I. *pag.* 324; nec melior eorum est sententia, qui illud a Valeria, Diocletiani filia, vel cum Bonfinio, ex Græco βάλλειν τας ἀκίδας (jacere tela) deducere volunt. Probabilior illa est opinio, quæ, uti populos fere omnes ad maria vel fluvios incolentes, a verbo Germanico: Wallen, denominatos fuisse constat e. *gr.* Vallones, Welschen, Valisii &c. ita hos quoque ad Danubium, immo Pontum Euxinum habitantes, nomine Valachorum insignitos fuisse statuit. *Vid.* etiam Lenorm. Trunniani, Appendix ad res Hungaricas, in Collectione Scriptorum Hungaricorum Bongarsiana.

Caput III.

Sistens Daciam sub Imperio Gothorum ad irruptionem usque Hunnorum primam, id est, ab Anno 274 - 374.

§. 76.

Dacia a Romanis derelicta, Gothorum diversi populi eam tenuere, quippe quam simul cum Thracia, tanquam genitales incolluisse terras, dicuntur apud *Aurel. Victorem*, in Vita Gratiani. Cum ii, ex more suo, Provincias Romanas infestare non desisterent: *Probus* Imperator Romanorum factus, Aô. 277. Sarmatis in *Illyrico* fusis, Gothicos etiam populos omnes aut in dediti-

ditionem, aut in amicitiam recepit. Brevi post mplures eorum, Gepidas præsertim & Gothinos in lum Romanum traduxit. Hi vero fidem statim egerunt & occupato bellis tyrannicis Probo, pedis & navibus per omnem orbem sunt vagati, usque in molestos istos gloriæ Romanorum populos, idem nperator diversis vicibus opressisset, pacemque petecoëgisset. *Vid.* Flavius Vopiscus, in *Vita Pro*, & nummus aureus hujus Imperatoris, cum inriptione: VICTORIA GOTHICA. *Mediol.* p. 402.

§. 77.

Sub *Diocletiano*, Anno 284. regimine potito, othi pacem aliquamdiu tenuere; immo contra Pers Imperatori Romano auxilia tulerunt. Cum vero ro more suo, rupto fœdere, hostiles incursiones reovarent: sub jugum rursus missos, deque iis Romæ iumphatum esse, refert Eutropius & Pompon. Lætus 1 *Diocletiano*. Victoriam a Gothis reportatam esse, ræcipue per *Maximianum Herculeum*, qui a Diocletino primum Cæsar, mox Augustus creatus fuerat, indicat nscriptio a Pomponio Læto allata, in qua eidem nonen *Gothici*, est tributum. Repressi hoc modo Gohi, Istrum transire non sunt ausi, usque ad Constantiaum Magnum; vel quod Diocletianus castella in loco ransitus constituisset; vel quod tributo Romanorum iisdem pendi solito retinerentur. *Conferat.* Zozymus, Socrates, Sozomenus in Historiis illorum.

§. 78.

Constantinus M. sub initium Seculi IV. Aõ. 300. patris Constantii Successor, bellis civilibus feliciter peractis, Gothis Mœsiam & Pannoniam diripientibus,

pon-

ponte Danubio impoſito bellum intulit, eosque, licet non incruenta victoria, devicit. Conſtantinus Victor, pacem petentibus Gothis dedit, Romanosque tributo immunes fecit, & poſtea illi iidem, pariter ac barbaræ ceteræ Nationes ſeptentrionales omnes, fuere deditiſsimæ. *Vid.* Eutropius & Pompon. Lætus, in Vita Conſtantini. *Confr.* Euſebius, Hieronymus, Sozomenus &c. Pacis conditionem, inter alias, fuiſſe, ut Gothi exercitu 40000. militum Conſtantinum contra Perſas juvarent, auctor eſt *Iornandes*, de rebus Geticis, *Cap. XVIII.* Zozymus autem *Hiſtor. Lib. II.* refert: Gothorum ſervos, cum Domini eos ad promiſſum præſtandum armaſſent, in hos arma vertiſſe, ita, ut complurimi ad Conſtantinum fugientes, Sacramento eidem ſe obſtringere militari neceſſe habuerint.

§. 79.

Conſtantius Conſtantini filius, Aő. 337. una cum fratribus patri ſuccedens, illis vero interfectis, ſolus regno potitus, in bello cum Sarmatis geſto, auxilio uſus eſt *Taifalorum*, qui eo tempore Daciam una cum *Victobalis & Therungitis*, populis nimirum Gothicis, incoluere, ut Eutropius in Trajano retulit; *Confr.* Ammianus Marcell. *Hiſtor. Lib. XVII. Iulianus* Cæſar a Conſtantio factus, mox Auguſtus ab exercitu nominatus, Aő. 361. ex Germania rediens, in Daciæ ſe terminis continuit. Vbi vero, mortuo Conſtantio, imperium ſolus obtinuiſſet: ſtrenue curavit, ut milites, per ripas Iſtri barbarorum excurſibus oppoſiti, vigilanter munus ſuum obirent. Gothos tamen ſæpe fallaces & perfidos hoſtes aggredi, licet ab amicis impelleretur, noluit, dicens, ſe quærere meliores, ut ait Marcellinus *Lib. XXII.*

§. 80.

§. 80.

Continuarunt itaque Gothi, Istro, quoties licuit, ansmisso, Romanas Provincias depopulari. Fecerunt præsertim sub *Valentiniano*, qui Aô. 364. successerat wiano, prædariisque globis, ut loquitur Ammianus larcell. *Lib. XXVI.* irrumpentes, Thracias diripueint, & *Procopio*, imperium affectanti, tria millia suorum auxilio miserunt; audita vero Procopii in Phryа, per Valentem fratrem Valentiniani sociumque imerii, facta oppressione, hujusque in Thraciam adveni, pedem in Daciam suam retulerunt. Nec tamen tio diuturno frui potuerunt: quippe ab exteris hostius tuti, inter se commissi sunt, atque distracti, aliis *Ithanaricum*, aliis *Phritigernum* Regem sequentibus.

§. 81.

Circa hæc tempora inter Gothorum partem Sara Christianorum eminere cœperunt. Equidem Nicænæ jam Synodo œcumenicæ Aô. 325. celebratæ, *Theophilum* Gothorum Episcopum interfuisse testatur Eusebius de Vita Constantini M. *Lib. I. Cap. VII.* & ost eundem Dacorum in Sacris Doctorem fuisse *Nicetam* Romanorum Fasti loquuntur, ut tradit Timon n Imagine Hungariæ antiq. *Lib. I. Cap. XVI.* Sub Vaente vero maxime inclaruit *Vlphilas*, celebris ille Gothorum Episcopus, qui inventor fuit litterarum Gothicarum & Auctor versionis Sacræ Scripturæ in lingvam Gothicam, cujus partem, quatuor evangelia complexam, codicis argentei nomine famosam, Academia Vpsaliensis svecorum conservat, Hic idem Vlphilas, Constantinopolim profectus, Valentis auxilia pro Phritigerno, contra Athanaricum imploravit, gratiamque ejus ca-

ptaturus Sacra Gothorum, quibus Phritigernus cum suis nomen dederat, Arianis conformavit, prout id Historiæ Ecclesiast. Scriptores, & in his præcipue Sozomenus & Socrates memoriæ prodiderunt.

§. 82.

Ad postulationem Phritigerni Valens Imperator militem in Thraciis stativa habentem auxilio misit. Prœlium in Dacia trans Istrum commissum fuisse, victoriamque, Athanarico in fugam acto, penes Phritigernum stetisse Socrates memorat. Nihilo tamen minus Gothi a mutua vexatione non destiterunt: quippe Athanaricus, juratus christiani nominis hostis, Phritigerni subditos complures, quos prehendere [illegible]it, ad coronam martyrii sublimavit, ut loquitur [illegible] Diaconus, in Hist. Miscell. *Lib. XI* & hoc modo Gothi inter se ipsos digladiari continuarunt, usque dum Hunni Europam irruerent, finemque imponerent insanæ eorundem dimicationi.



Pars

Pars IIda.

Historiam medii ævi complexa.

Sectio Ima.

Exponens viciſſitudines Tranſilvaniæ ab irruptione Hunnorum in Daciam facta, ad initium usque Regni Hungarici per S. Stephanum ſtabiliti, i. e. ab Anno 374. usque ad A. 1000.

Caput Imum.

Ab irruptione Hunnorum in Daciam facta usque ad irruptionem Avarum, in eandem i. e. ab A. 374. usque ad A. 564.

§. 83.

Hunnos gentem fuiſse Scythicam in ſeptentrionalibus Aſiæ partibus longe lateqve diſperſam, Scriptores conſentiunt omnes. Qvæ Iornandes de Rebus Geticis, de ortu eorundem ex commixtione Magarum Gothicarum cum ſpiritibus immundis, commentus eſt, merito in fabulis habentur. *Vid.* Deſericius de Initiis & Majoribus Hung. *Tom. I. Cap.* 1. Erraſſe etiam Eccardum, Hunnos a Sclavis derivantem oſtendit Stiltingus in Commentario ad vitam S. Stephani §. 4. Poſt *Otrokocſium* in Originib. Hung. *Siegefrid. Beyerum*, in

Epist. ad Mathiam Bel, & *Desericium* in Init. d
joribus Hungar. optime originem hujus nationis
cuit *Georgius Pray* in Annalibus Hunnorum, A
& Hungarorum pag. 8. *sequ.* ducem sequutus
nesium Historiam generalem Hunnorum, Turc
Mogolitarum & aliorum Tartarorum ex Manus
Sinicis tradentem. Horum igitur duumvirorum e
tentia Hunni, Sinis a septentrione vicini, antiqu
tempore *Hiongnuorum* sub nomine, inter *Amur*
Irdischum fluvios habitavere, post varias deni
cissitudines, posqvam Imperium illorum circa A
Christi 48. in septentrionale & meridionale divis
set, populi ad prius spectantes ad incitas fere
redacti, occidentem versus cedentes, loca habit
primum ad *Iaichum* fluvium circa A. 104. qvæs
hinc etiam a Tartaris pulsi, circa A. 134. ad
Volga sedes suas stabiliverunt, unde tandem A
transmisso etiam Tanai fluvio in Europam irr
& pernicibus suis eqvis huc illuc volitantes,
pariter ac terroribus cuncta compleverunt, ut I
Hieronymus in Epistola ad Oceanum exarata.

§. 84.

Irruptionem istam Hunnorum & ululatus lupor
latratus canum insolitos, & solis exortus obsc
immo lapidem etiam, Chalcedonis sub mœnibu
tum fatali sua inscriptione præcinisse, auctor est
flitioso nimis genio indulgens, Ammianus Marc
Histor. Lib. XXXI.

Sed qvando Nymphæ roscidam per urbem chorea
Exultantes statuent per coronatas vias,
Et murus ad conficiendum balneum firmum erit adjun
Tunc sane innumeræ gentes variorum generum ho

Feroces ſplendidæ malo munitæ robore,
Iſtri jucunde fluentis vadum cum bello trajicient,
Et Scythicam perdent regionem, & Myſiæ terram,
Pæonemque eqvitantem cum Celtis furentes invadent.

Alteram horum verſionem dedit nobis *Otrokoçſius* in *Orig. Hung. Cap. III.*

Varia etiam de occaſione & modo, qvo Hunni bovem vel cervum ſequuti Mœotidem paludem transierint, ex vago rumore attulit Sozomenus *Hiſt Eccleſ. Lib. VI. Cap. XXXVII.* Verum parum ſane fidei commentis hisce habendum eſse, adnotavit Belius in Prodromo Hung. antiq. *Lib. II. Sect. I. Cap. II.* & Timon in Imag. Hung antiq. *Lib. II. pag.* 157. *ſequ.* Illud verius, potiorumque ſcriptorum teſtimonio firmatum eſt, populos hosce, duce *Balambere* ſedibus Aſiaticis egreſsos, primum *Alanos* adortos fuiſse, hisque devictis, porro in Daciam, ex qva Gothorum inter ſe diſsenſio eis innotuerat & porro in Pannonias ſeſe efudiſse. Vid. *Iornandes de Reb. Get. Cap.* XXIV. *Priſcus in Excerpt. legat. pag.* 32. *Florus Nadanyi Hung. Lib.I. Cap.*8. *Timon in Imag. H.A. Lib.II. Cap.* 1.

§. 85.

Primi victores Hunnos experti ſunt illi Gothorum populi, qvi orientales Daciæ plagas incolentes *Oſtro-Gothi* adpellabantur, Ermanarico hoc tempore Regi ſubjecti. Interea dum hi vincuntur, *Viſi-Gothi* occidentalem Regionem tenentes, inſultibus hoſtium minime exſpectatis, periculo ſeſe ſubduxerunt. *Athanaricus* qvidem in Caucalandam, qvam Timon *Lib. II. Cap* 3. terram Iazygum Metanaſtarum, alii Regionem Tranſilvaniæ ſiculicam crediderunt, temporius ſe recepit. Qvi vero reliqvis Gothis præfuere,

Alaricus & *Phritigernus* Duces, Danubio transmiſſo, a Valente Imperatore partem Thraciæ inhabitandam acceperunt; ſine alia fœderis pactione, niſi qvod ſubſidio ſe fore Romanis adverſus Barbarorum incurſiones ſpopondiſſent. Eadem lege *Athanaricus* qvoqve cum ſuis receptus eſt, qvi Chriſtianam tandem Religionem poſtqvam amplexus eſſet, Conſtantinopoli mortuus, ſuperboqve funere elatus eſt. Iornandes de Rerum ſucceſs. *pag.* 1088. Ammianus Marcellinus *l. c.* Oſtrogothi ſub Imperio Hunnorum priores ſedes retinuerunt, veniamqve propriis ſuis regulis parendi obtinuerunt teſte *Iornande de Rebus Get. Cap. XXVIII.* & *Sigeberto Gemblac. in Chronograph.* Viſigothi vero ob avaritiam Maximini Thraciæ Præfecti, fame laborantes, arma contra Valentem Imperatorem capeſſiverunt. Ac primo qvidem impetu Lupicinum Ducem vicerunt. Poſtea ipſi Conſtantinopoli imminentes, Valentem ſibi obviam factum, auxilio Hunnorum & Alanorum, promiſſis prœmiis ad conjunctionem armorum commotorum, pariter devictum, in caſa ruſtica, igne ſubjecto cremaverunt, eoqve facto finitimas omnes Regiones crudeliter devaſtarunt, prout id memoriæ tradiderunt *Iornandes de Rebus Geticis Cap VIII. Ammianus Marcellinus Lib. XXXI. Cap.* 16. *Nicephorus Hiſt. Eccles. Lib. XI. Cap.* 48. *Oroſius Hiſt. Lib. VII. Cap.* 33. id qvod factum eſſe Idatius refert V. Iduum Aug. Anno 378. *Vid. Faſti ejus Conſul. ad Annum cit.*

§. 86.

Qvi Valente mortuo ſolus in oriente Imperium tenebat *Gratianus*, Hunnos muneribus & promiſſis a finibus Romanis arcere ſtuduit, teſte Ambroſio, *Epiſt.* XXVI. ad Valentinianum. Collega vero & ſucceſſor

tandem

lem ejusdem *Theodosius*, qui bellis contra barba- feliciter gestis hanc dignitatem meruerat, Gothos perfectam quietem reduxit, aliis nimirum ad ami- um adscriptis, aliis vero Sacramento militari sibi rictis. *Vid. Zonarus Annal. Tom. II.* Illorum ita- , immo Hunnorum etiam auxilio in prœliis usus, ı *Maximo Marcellino* & *Eugenio* Aó. 388. sequ. Imperio decertatis, teste Rufino & Sozomeno. ices hos successus calamitas haud parva est insequu- quippe ubi 10000. Gothorum contra *Arbogastem* isset, integram hanc manum ab isto ad interneci- em devictam esse Paulus Diaconus retulit in *Histor.* *scell.* De Hunnorum vero sucoessibus *confer.* Lati- Pacatus, in Panegyrico Theodosio recitato.

§. 87.

Supremum his temporibus Hunnorum Ducem isse *Charatonem*, ex Olympiodoro apud Photium in bliotheca Cod. *LXXX.* allegato collegit *Celebr. Pray*, *nal. Hunn. P. I. Lib. II. pag. 81.* Eumque *Balam-* *i* circa Annum 387. successisse autumans, termi- s Regiminis illius ad Annum usque 400. extendit. ius itaque ductui parentes Hunni, Theodosio Imperato- mortuo, Aó. 397. Gothis Græciam Thraciasque vastantibus, in Asiam hostiliter irruperunt, evocati mirum, teste Marcellino & Paulo Diacono, per ufinum Præfectum Prætorio, Regnum hoc modo *rcadio* Imperatori, filio Theodosii alteri, cui Ori- s obvenerat, eripere conatum. Syriam inprimis & rmeniam fœde ab ipsis laceratas esse refert *Hierony- mus Epist. XXX.* Quoniam vero istæ regiones qui- usdam recentioribus Scriptoribus longo nimis inter- allo a Dacia separatæ videntur, quam ut Hunnos

in eas excurrisse probabile sit: hinc est, quod ab ii dem fuerit dubitatum, utrum hæ devastationes Eur pæis omnino, an potius Asiaticis Hunnis tribuend sint? *Vid. Celebr. Pray l. c. pag. 86.*

Charatoni Hunnorum Duci *Vldinus* successi regia inter suos dignitate, teste Philostorgio & Ma cellino Comite, circa Annum 400. insignis. V riæ illius apud Scriptores bellicæ memorantur exped tiones. Primam quidem contra *Gainam* Gothum suscepi Cum enim hic, belli ducis munere in oriente functus arma contra Imperatorem Arcadium sumsisset, pro fligatus vero ex Thracia in Dacia securitatem quæs isset: Vldinus adversus eum profectus victum interfe cit, caputque rebellis Arcadio Constantinopolim tran misit. *Vid.* Marcellini Comitis *Chronicon.* Socrate *Lib. VI. Cap.* V. Sozomenus *Lib. VIII. Cap.* IV. Test monium hocce Amicitiæ, muneribus Vldino vicissin missis, ab Arcadio agnitum fuisse Valesius *Lib.* X *Rerum Francicarum* ex Zozymo testatur. *Confr.* Co dex Theodos. Timon in Chronol. ad Annum C. 401

§. 88.

Alteram Vldinus expeditionem in Italiam susce pit. Cum enim *Rhadagaisus*, Scytha quidam incerta originis, cum exercitu fœdissimorum Latronum Ho norii ditiones Aõ. 404. irruisset, Christianisque Itali am habitantibus interitum minitaretur: Vldinus a Sti licone stipendio conductus, itemque *Sarus* Dux Go thorum, afflictis auxilio venerunt. Eorumqu fama Rhadagaisum Romanorum jam cervicibus immi nentem Aõ. 405. tanto terrore perculit, ut trepidu cum suis in Fesulanos montes aufugeret, unde, maxi

ma

na exercitus ſui parte fame conſumta, cum fuga ſalutem quærere vellet, captus & interemtus eſt, teſte Paulo Oroſio *Lib. VII. Cap. XXXVII.* Proſpero in *Chron.* ad Annum 405. Auguſtino, de *Civit. Dei Lib. V. Cap. XXIII.* & Zozymo, *Lib. V. Cap. XXVII.* Redux ex Italia cum exercitu ſuo Vldinus resque Romanorum, a quibus, incertum quo modo, irritatus fuerat, in oriente vehementer turbatas eſſe animadvertens, mox Iſtro transmiſſo Mœſiam Thraciamque cum Hunnis ſuis infeſtavit, nullove pacto ad inducias cum Romanis ineundas ſe adduci paſſus eſt. Hæc illi durities ſummum diſcrimen acceleravit. Cum enim complures Hunnorum, percepta Romanorum Imperatoris lenitate ad hunc transfugerent: Vldinus cum reliqua copiarum ſuarum parte fugam capeſſere neceſſe habuit, non paucis ſuorum, qui hinc inde diſperſi erant, cædi aut ſervituti derelictis. Accidit hoc teſte Sozomeno, *Hiſt. Eccl. Lib. IX. Cap.* V. Aó. 409. Romanos nihilominus pacem ab Hunnis poſtea tributo annuatim exſolvendo mercatos eſſe, Otrokocſius in *orig. Hung. P. I. Cap.* 4. conjectura adſequi ſtuduit.

§. 89.

Vldino circa Annum Chriſti 411. *Mundzuchum* in Regimine Hunnorum ſucceſſiſſe *Prayus* ex Priſci Rhetoris Excerptis Legat. collegit. *Vid.* Annal. Hunnor. *P. I. Lib. II. pag.* 95. Res illius geſtæ in obſcuro ſunt; quia illas per Duces magis ſuos, quam in propria perſona peregit. Inter hos præcipue *Rugas*, quem alii Rhoilum vocant, alii male cum Rege Rua (de quo mox dicemus) confundunt, nominatur. Hic enim transmiſſo Iſtro Aó. 426. Thraciam devaſtaſſe, immo Conſtantinopolim ipſam obſidione clauſiſſe legitur

gitur apud Socratem, *Lib. VII. Cap. XLIII.* interitum omnino adlaturus miseris orientalibus Christianis, nisi singularis Dei providentia, precibus Theodosii junioris exorata, subitum ipsis auxilium præstitisset. Ruga enim fulmine ictus interiit, Hunnorum vero maximam partem pestis subsequuta perdidit: eoque facto reliqui magna formidine perculsi fugam capessere sunt coacti, teste Theodoreto, *Lib. V. Cap.* XXXVII. *Mundzucho* Hunnorum Regi *Octar* & *Ruas* successit Aó. 428. sicuti illud ex Prisci Rhetoris Excerptis Legationum collegit Celebr. Pray, *Anal. Hunn.* P. I. *Lib. II. pag.* 101. *Octar*, quem aliqui Vptarum, alii Suphtarum dicunt, in expeditione adversus Burgundiones inter Vistulam & Viadrum habitantes, Aó. 430. susceptam, voracitate diruptus est, ut loquitur Socrates, *Histor. Eccl. Libr. VII. Cap.* XXX. Ruas vero imperio solus potitus. Hic Aëtium celebrem illum Romanorum Ducem, Italia profugum, suis auxiliis restituit, Aó. 433. testibus Prospero & Idatio in Chronicis, ad Annum cit. Hic idem Orientalibus, qui & Hunnos transfugas reddere detrectabant, & diversas ad Istrum incolentes gentes Hunnis parentes ad defectionem solicitarant, bellum minitabatur, antequam vero propositum exsequi posset, ipso bellico huic adparatui immortuus dicitur, apud Priscum Rhetorem in *Excerpt. Legat. pag.* 32. *Edit. Venet.* 1729. *vid.* Pray Annal. Hunn. *P. II. Lib. II. pag.* 104.

§. 90.

Post interitum Ruæ Regis, Regnum Hunnorum occupaverunt fratres illius *Mundzuchi* filii, *Attila* nimirum & *Bleda*. Hic tamen brevi post insidiis fraternis circumventus occubuit, & Attilæ imperium soli reliquit. Romanorum Imperator Theodosius, successione

cognita

cognita novi Regis irruptionem metuens, legatione ſolemniori ad Attilam miſſa de pace ejusque conditionibus convenit. Cum vero non multo poſt Imperator iisdem ſtare neglexiſſet, Attila A. C. 442. Danubio transmiſſo, in Pannoniam Mœſiamqve irruptionem fecit, ibidemqve ad Thermopolim, juxta Vtum amnem Amegisclo Duce Rom. interfecto, cruentam ſane de his victoriam reportavit, & progreſsus inde cum exercitu victore, Illyricum reliquumve orientem pene univerſum vaſtavit *Confr.* Marcellinus Comes, in Chronic. *item* Timon in Im. H. A. *Lib. II. Cap.* 5.

§. 91.

Theodoſius exercitu quodam ægre readunato, Hunnos hic illic coërcere conatus, Aó. 446. apud Cherſoneſum rurſus fuſum ſe vidit atque fugatum. Quare pacem mercari coactus fuit 6000. librarum auro, & de tributo 2100. annuatim pendendo convenit. *Vid.* Priſci Rhetoris Excerpta, Attila hac ex parte placatus alias prædas eſt meditatus. Iunxit itaque ſibi complurium aliarum Nationum ſibi ſubjectarum Duces, *Andaricum* ſcilicet Regem Gepidarum in confiniis Sarmatiæ degentium, & *Valamirem*, Regem Oſtrogothorum (qui in Panoniis hærebant, & hoc nomine a Viſi Gothis diſtingvebantur, qui jam ante 30. annos ſub Rege Alarico in Occidentem effuſi Regnum in Galiis & Hiſpaniis ſtabiliverant) & ſuper hos, Regulos etiam Marcomannorum, Quadorum, Herulorum, Aquilonis in finibus commorantium, ut loquitur Paulus Diaconus *Lib. XV.*

§. 92.

Cum his tantis copiis, quarum numerum ali ad 500000. extenderunt, Attila Occidentem debell eſt aggreſſus. Profectus itaque ex Daciis, in quan alpeſtri parte, quæ hodie Moldavia audit, Regi ſuam habuiſſe, ex Priſci Rhetoris Excerptis colli *Timon* in Imag. Hung. antiq. *Lib. II. Cap. 5.* P mum Germaniam, mox Gallias vaſtavit. Obſtitit eid Dux Romanor. Aëtius, qui Rege Viſi-Gothorum *T odorico*, aliisque Nationibus Occidentalibus in aux um vocatis Attilam demum in Campis Catalauni Aô. 451. inſigni prælio devicit. Attila igitur mul ſuorum amiſſis, pedem retulit, urbibusque haud p cis in itinere per Galliam Germaniamque devaſtat in Daciam ſuam ſe recepit. *Vid.* Comes Marcellin Iornandes, Paulus Diacon. & Chronicon Alexan num; ex recentioribus vero Scriptores Vitæ Attil Nicol. Olahus, Philippus Callimachus &c.

§. 93.

Collecto mox validiore exercitu, Attila Itali vaſtavit, ſollicitatus per Honoriam, Valentiniani Im ratoris germanam. Everſæ hac illius expeditione A 452. & ſequenti fuerunt celebriores Italiæ url Aquileja, Mediolanum, Verona &c. & ne Ro idem, quod jam antea a Gothis experta fuerat, fat ſubiret, a Leone Pontifice flagello Dei obviam eur eſt effectum. Reverſus iterum in Dacias ſuas Att Martiano Imperatori Orientis bellum continuo, tributum penderet, indixit, mox tamen Idilk puella, ceteris uxoribus ſuis juncta, nocte quad *profluvio* ſangvinis eſt ſuffocatus A. 454. Res

ge

gestas ex professo descripserunt *Iuvencus* & *Priscus Rhetor*. Ille in Manuscripto latet, hujus excerpta quædam tantum exstant. Ex recentioribus, *Nicol. Olahus* & *Callimachus*, vitam illius descripserunt; conferri etiam potest *Otrokotsius* in Originibus Hung. *Part.* I. C. IV. §. 19.

§. 94.

Attila demortuo, *Densices* & *Irnacbus* filii illius, quos ex Rheca muliere susceperat, in Imperio Daciarum & Pannoniarum eidem successerunt. Amicitiam hi Martiani Imperatoris solemni legatione efflagitantes, nihil obtinuerunt. Quare senior eorundem, juniore societatem belli detrectante, Danubio transito, bellum Romanis exercitu ex Hunnis Gothisque conflato, intulit; mox tamen blandis Martiani verbis ad sua redire est commotus. Brevi post inter ipsos Gothos & Hunnos super agrorum in Pannonia partitione dissidia sunt exorta. Romani igitur hoc rescientes bello eos sunt aggressi, quo facto Gothi cum Hunnis rursus amicitiam junxerunt, prœlioque justo cum Romanis decertarunt, ut retulit ex Prisci Rhetoris Excerptis, *Timon* in Imag. Hung. antiq. *Lib. II. Cap 6.*

§. 95.

Subsequentibus temporibus, Hunnorum res in dies sunt imminutæ; quippe non solum Duces eorundem divisi inter se fuerunt; verum etiam diversæ inter illos Nationes se invicem opprimere sunt conatæ. Maximum tamen damnum a Gothis eisdem est illatum. Incolebant hi, teste Iornande, Pannonias, tribus fratribus, *Vallemir*, *Theodemir*. & *Videmir*, parentes. Cum igitur post fata Attilæ liberius agentes, Hunnis

non

non ut Dominis, verum ſociis uterentur, exemplumque eorum *Andaricus* Rex Gepidarum, immo reliquæ etiam Nationes Attilæ quondam ſubjectæ ſequerentur: filii hujus eos, quaſi deſertores dominationis ſuæ, repente ſunt aggreſſi, in *Valemirem* ſolum irruentes. Hic vero intrepide eos excepit diuque fatigatos ita proſtravit, ut vix pars aliqua hoſtium remaneret, quæ in fugam verſa eas partes Scythiæ petiit, quas Danubii fluenta prætermeant. *Vid.* Iornandes de Reb. Get. *Cap. LII.*

§. 96.

Fugam hanc *Sigebertus* in Chronico ſuo, ad A. 460. retulit; de loco vero, qui profugis receptaculo fuerit, quemve Iornandes *Hunnivar* appellatum dicit, ambigitur. Timon eundem *Lib. II. Cap. 6.* inter Danubium, Tibiſcum, Tarnam & Zadaviam; alii in Hungariæ Superioris Comitatu *Vng*, ſive *Vngvarmegye* alii denique trans *Danaprum* ſeu *Boryſthenem*, Sarmatiæ flumen quærunt, probabilior tamen eorum eſt ſententia, qui Hunnos a Gothis Pannonia ejectos, in Daciam præcipue Mediterraneam, ſe recipiſſe affirmant; quippe non ſolum Comitatus Hunnyad-Varmegye, cum voce *Hunni-Var* multum convenit, verum etiam Hunnos in Dacia noſtra longiſſime ſeſe retinuiſſe reliquiæ illorum *Szekhelyi* ſive *Siculi* certiſſimo ſunt indicio. *Confr.* Belii Prodrom. Hung. antiq. *Lib. II. Sect.* I. *Cap.* 1. §. 24. p. 51.

§. 97.

Victores Gothi Pannoniis & parti Daciarum dominabantur, brevi tamen poſt *Valamiro* Rege in bello contra Suevos occiſo, Regnoque inter fratres ſuperſti-

perstites *Theodemirum* & *Videmirum* diviso, hic cum suis ad Visi-Gothos in Galliam abiit, ille vero filium *Theodoricum*, moriens Successorem reliquit, qui Imperatoribus Orientalibus, Leoni & Zenoni, gratus admodum fuit, & obtenta ab hoc Italia, eam cum omni Ostro-Gothorum multitudine petiit, devictoque *Odoacro*, Herulorum Rege, occupavit. *Vid.* Paulus Diaconus *Lib.* XVII. De Hunnis vero nihil praeterea annotatum reperitur, nisi quod Marcellinus Anno 469. *Densicis* caput Constantinopolim allatum esse tradat; Evagrius vero *Histor. Eccles. Lib.* III. *Cap.* 2 Hunnos Anno 475. Thraciam devastasse scribat. Quae de *Chaba*, Attilae filio quodam ficto, Scriptores Hungarici retulerunt, qui cum omnibus Hunnis post mortem patris in Scythiam redierit, relictis in finibus Transilvaniae tribus duntaxat Siculorum millibus, ficta omnino auctorumque vetustiorum testimonio destituta esse, jam pridem a curiosioribus historiae amatoribus fuit annotatum. *Vid.* Timon l. c. *Lib.* II. *Cap.* 6.

§. 98.

Post Ostrogothos *Gepidae*, populi itidem Gothici, Pannonias occuparunt, imperiumque suum in Daciam usque protulerunt, quae hoc tempore, teste Iornande, sub nomine *Gepidiae* latitavit. Hunni vero in Dacia interiore commorantes, Slavos & mox Bulgaros etiam a flumine Volga erumpentes hospites videre, qui A. 499 Istro trajecto, Thracias igne ferroque vastarunt, Anastasii Imperatoris exercitum ad internecionem devicerunt & multo demum auro in regiones occidentales excurrere commoti, a Theodorico, Rege Italiae, repressi fuerunt. An Hunni hac in expeditione socii eorundem fuerint, incertum est. Anno vero 514, eosdem

eosdem in ſocietate Bulgarorum impulſu Vitalliani Scythæ, Myſiam Thraciamque devaſtaſſe, & Anno 515. in Armeniam Minorem & Cappadociam populabundos eosdem excurriſſe, ac demum multos eorundem juxta Pontum Euxinum conſediſſe in Chronicis ſuis Marcellinus annotavit.

§. 99.

Juſtino Imperio orientis potito, Rex Hunnorum illorum, qui ad Pontum Euxinum conſederant nomine *Gordas*, Conſtantinopoli baptiſmum accepit, ob eamque cauſſam per fratrem *Magorem* ſub Juſtiniano, teſte Cedreno, occiſus. Hoc *Magore* duce, Hunni A. 530. usque ad Conſtantinopoleos ſuburbia ferro flammaque ſævierunt, nec prius, quam ſtipendia iis promiſſa eſſent, ad ſua receſſerunt. Utrum Hunnis hisce Dacici etiam aſſociati fuerint, non exprimit, qui hanc Orientalis Imperii deformationem deſcripſit, *Procopius* de Bello Perſico *Lib.* II. illud vero addit, per eorundem terram Sclavinos Sarmatas Anno 548 & 50. in Illyricum contendiſſe, illique occupato, nomen *Sclavoniæ* impertiviſſe. Conſtantiores hisce paucis poſt annis advenas vidit Dacia, *Avares* nimirum, quorum fata ſequenti Capite venient referenda.



Caput

Caput IIdum.

ab irruptione Avarum ad irruptionem usque Hungarorum, sive, ut vulgo dicitur, ab irruptione Hunnorum secunda ad tertiam, i. e. ab A. 564. usque ad A. 888.

§. 100.

Variae sunt de *Avarum* & nomine, & gente, & gione, qua exierint, opiniones. Id certum est, fu- eosdem Hunnorum priorum cognatos, & idcir- vel Hunnos, vel Hunno-Avares, vel Slavonica nique appellatione *Ugores* aut *Unnugaros* vocitatos. abitarant iidem teste *Evagrio* Histor. Eccles. *Lib.* V. p. 1. ultra Caucasum, & acerbe a Turcis confini- is tractati, sedes suas reliquerunt, exemplumque pri- um Hunnorum secuti, in Europam contenderunt, unnis Dacicis A. 564. juncti. Legationem eorum- m *Justinianus* Imperator, cui pro terra fertili eis- m ad colendum danda & statuto annuo stipendio, xilium contra hostes offerebant, benigne accepit, uneribusque ad *Chaganum*, sive Principem Avarum issis, foedus cum eodem pepigit, ex cujus tenore A- res varios Romani nominis hostes debellarunt. *Conf.* enander in Excerptis Legationis.

§. 101.

Decertabant his temporibus de Pannonia Rex epidarum *Cunimundus* & Longobardorum Rex, *Al- inus*. Mortuo Justiniano Avares pro praemiis na- tae in bellis operae a filio ejusdem *Justino* dura

ſolum verba acceperunt. Cum igitur hoc eodem tem pore ab *Alboino* contra Gepidas magnis promiſſioni bus in auxilium ſollicitarentur: ultionem in Roma nos meditatam diſtulerunt, Gepidasque in ſocietat Longobardorum Pannonia ejecerunt. Brevi po A. C. 568. Longobardi a Narſete Duce in Italiam fue runt revocati; ſoli igitur Avares Imperio Pannoni Daciarumque ſunt potiti, ſuppreſſis prorſus Gothis, a liis Regione expulſis, aliis ſub Jugum miſſis, ſicut hoc veterum Scriptorum teſtimonio comprobatum de dit *Nadányi*, in Floro Hung. *Cap.* 13. & poſt eun dem *Otrokotsius*, in Originibus Hung. *Cap.* 5.

§. 102.

Longobardis profectis, Avares in Germaniam ex currerunt. Illis abſentibus *Juſtinus* Imperator Syr mienſem agrum in Pannonia eripuit, præſidiis illorun aut diſſipatis, aut in ſervitutem abreptis. Redu *Chaganus*, Anno 574. cum Tiberio Duce conflixit eoque devicto, Syrmium recuperavit, pactisque annui 80000. aureorum ſtipendiis, pacem fecit. Demerit ſunt hæc ſtipendia Avares in illa expeditione, quan *Tiberius*, Juſtini Succeſſor, A. 579. eorundem po tiſſimum auxilio contra Cosroëm, Regem Perſarun feliciſſime geſſit. Quippe prœlio inito, *Curs* Scythar initium pugnæ & victoriæ feciſſe, auctor eſt Evagr us *Lib.* V. *Cap.* 13. *Curs* vero, illum Chaganum A varum fuiſſe, non absque ratione opinatur Timo in Imag. Hung. antiq. *Lib.* II. *Cap.* 8.

§. 103.

Mauritio Imperatore Orientis facto, Avares d denegatam ſtipendiorum ſolutionem, ſociis Sclavi

Ann

mo 593. Mœsiam, Thraciam, Græciamque ad lon-
m usque murum, quem Anastasius barbaris Natio-
bus, ab Euxino ad alterum usque mare opposuerat,
ro flammaque vastarunt, neque prius Chaganus
undem ad pacem Orienti dandam commoveri po-
t, quam 80000 statis aureis, 20000 additi fuissent.
nd longe post Priscus Dux Romanorum, irruptio-
trans Istrum in ditionem Sclavorum facta, pacem
or fregit: Chagani itaque mox jussu & auctoritate,
vari in Mœsiam Thraciamque irruerunt, eamque
ge lateque devastarunt. *Vid.* Theophilus Simo-
ta, *Histor. Lib.* I. *Cap.* 4. Nicephorus *Breviar.*
stor. Lib. I. *Cap.* 18.

§. 104.

Sclavos mox insecutus Chaganus ad Pontum us-
e penetravit, tantumque A. 599. Constantinopoli-
is metum incussit, ut parum abfuerit, quin urbe
elicta in Asiam emigrarent. Liberati tamen fue-
t ingenti hac calamitate, peste exercitum Chagani
rente, septemque, quod dicitur, ejusdem filios u-
die abripiente: Hoc malo, precibusque Mauritii
ctum est, ut Chaganus pacem rursus iniret, auctis
nen stipendiis 20 millibus aureorum. Captos, quos
gulos pro unius nummi pretio Mauritius redimere
rectaverat, Avares ad unum omnes, antequam ad
redirent, interemerunt. *Vid.* Simocatta *Lib.* VII.
p. 15. *item* Nicephorus, Theophanes &c.

§. 105.

Chaganus ex Oriente redux in Italiam continuo
mo. 601. irrupit, Provinciamque Forojuliensem
Friaul) nuncupatam *Gisulfo*, Domino illius inter-

secto, & Urbe ejusdem per proditionem *Romildæ*, uxoris quondam Gisulphi, capta & excisa, universam devastavit; brevi vero post ipse in vivis esse desiit; sicuti *Timon* in Imag. Hungar. antiq. *Lib.* II. *Cap.* 9. inde collegit, quod Mauritius Imperator A. 602. milites suos trans Istrum hybernatum miserit, quippe quod vivo Chagano facere nunquam ausus fuisset.

§. 106.

Renovato per *Focam*, Mauritii interfectorem & Successorem, fœdere cum Avaribus facto, quieti per eosdem fuerunt Constantinopolitani ad A. usque 618. Cum vero novus Avarum Chaganus, ab irruptione eorum tertius, legatos ad *Heraclium* Focæ Successorem misisset; hic autem viciffim per Athanasium Patricium, & Cosmam Quæstorem, in Daciam ablegatos Chaganum ad amicum colloquium in oppidum Thraciæ Heracleam invitasset, imo eidem obviam processisset; Avares perjuri ingenti cum exercitu in Thraciam irruerunt, cumque *Heraclium* fugientem intercipere nequivissent, regionem Constantinopoli adjacentem devastarunt, prædaque onusti, & 72000. captis secum abductis (secundum alios CC. septuaginta millia) trans Istrum ad sua reverterunt, uti hoc *Nicephorus* Patriarcha Constantinopolitanus & post eundem *Theoph.* *Cedrenus*, memoriæ proditum reliquerunt.

§. 107.

Brevi post *Heraclius* necessitate se adactum vidit ad fœdus cum Chagano ineundum, imo filium suum Constantinum tutelæ ejusdem per litteras commendandum. Factum hoc Aõ. 621. cum Heraclius ad bellum contra Cosroëm Persarum Regem proficisceretur; infidi

ſidi autem Avares quinto poſt anno, Perſarum machinationibus exciti, Conſtantinopolim terra marique obſederunt, anno nimirum, 626. at decima mox die vi tempeſtatis ſubito coortæ adeo ſunt conſumti, ut pauci eorundem in Daciam potuerint redire. Sane poſt hæc tempora leviores quidem dimicationes intercesſiſſe, nulla tamen notabiliori clade Conſtantinopolitanos ab Avaribus affectos eſſe, Scriptores ſupra citati aſſeruerunt.

§. 108.

Variæ poſt hæc tempora inter Sclavos Mœſiæ Pannoniæque incolas, & Avares Daciarum cum Pannonia reliqua dominos exortæ ſunt contentiones. Talem *Nicephorus* ad Annum 634. retulit, quo Chaganus Dominatum Bulgarorum, ſeu Sclavorum, occupare voluerit, *Crobatus* (*Cubratus*) vero horum Dux omnes Avares terra ſua expulerit. Talem etiam *Fredegarius* Scriptor. Hiſtor. Franciciæ *Tom. I.* ad A. 642. commemorat, quippe quo, exorto inter has Nationes de ſumma imperii bello, 9000. Sclavos e Pannonia cum uxoribus & liberis ad Dagobertum Regem Franciæ confugere adacti fuerint, quibus ſedes quidem in Bavaria aſſignatæ, mox vero una nocte cædes de consilio Francorum omnibus illata.

§. 109.

Rariorem poſt hæc tempora Avarum in hiſtoria mentionem factam videmus. *Pertarido* quidem contra Grimoaldum Longobardorum Regem, Chaganum Avarum Aõ. 654. auxilio fuiſſe, & poſt decennium Aõ. 664. Grimoaldo antea hoſti, nunc amico contra *Lupum* quendam in ſubſidium veniſſe, auctor eſt *Paulus Diaconus*, exitum vero expeditionum harum non

exponit. Insequentibus annis Avares imperium suum stabilivisse probabile est, quod a Borysthene per Daciam & Pannoniam ad Onasum usque Norici flumen, protensum, Hunniæ vel Avariæ nomen tulit: nihil enim aliud præterea memorabile de iisdem apud Scriptores horum temporum reperitur; & quam Scriptores Hungarici ad A. 744. somniarunt novam Hungarorum irruptionem, explosam jam cum aliis dedit *Otrokotsius* in Origin. Hung. *Cap. VI.*

§. 110.

Avarum denuo memoriam excitavit, sed pene etiam delevit bellum Caroli M. circa finem seculi VIII. contra eosdem gestum. Exciti iidem a Tassilo Bavariæ Duce, infelix contra Carolum bellum movente Aõ. C. 788. duobus exercitibus in Occidentem irruperunt. Hinc repressi tumultuari nihilominus & vicina infestare perrexerunt. Carolus itaque eos continuis octo annis, occisis Iugurrone, & Tuduno Chaganis eorundem, Regiaque illorum *Ringus* nominata excisa, munimentisque ceteris disjectis, penitus perdomuit, imperiumque suum & cum eodem Christianismum in interiorem usque Pannoniam propagavit. *Vid. Eginhardus* in Vita Caroli M. *Ado Viennensis* Chronicorum ætate VI. *Aventinus* in Annalibus Bojorum *Lib. IV.*

§. 111.

Fracti hoc modo Avares Francorum imperio, & diviso post mortem Caroli M. regno, Germaniæ Regibus subfuerunt, diversasque subinde e Germania Colonias acceperunt. Habuerunt tamen Avares peculiares suos Chaganos, quorum *Tudunus* quidam jam sub Carolo, *Canizaucus* alter sub Ludovico, Christianorum

sa-

ſacris acceſſerunt. Quo facto Avarum etiam complures veſtigia principum ſunt ſecuti & Chriſtianiſmus in Avaria ita eminere cœpit, ut jam Aô. 825. diverſos ibidem Epiſcopatus fuiſſe Epiſtola *Eugenii* Pontificis loquatur, cujus initium ex Otrokotsio & Lazio dedit *Timon* in Imag. Hung. antiq. *Lib. II. Cap. XIV.*

§. 112.

Num Coloniæ Germanorum in Avariam emiſſæ, & Chriſtianiſmus his temporibus ibidem eminens, ad Dacos etiam Avares penetraverit, in dubio poſitum manet; negari ſane ex eo nequit, quod Caroli arma Tibiſcum nunquam ſuperarint, quippe jam felix eorundem in Pannonia progreſſus, Avares eo adducere potuit, ut ſe ſuamque regionem totam eidem ſubmitterent. Illud interim certum eſt Avares, & Pannoniæ & Daciæ incolas quietos fuiſſe ad ſeculi IX. finem usque, ubi cognati eorundem Hungari tertium e Scythia erumpentes novos in Europa motus fecerunt.

Caput III.

Ab irruptione Hunnorum tertia ad initium usque Regni Hungarici, i. e. ab Anno 888. ad Annum usque 1000.

§. 113.

Qui in locum Caroli Craſſi per Proceres Germaniæ, Aô. 887. ſuffectus fuerat Rex *Arnulphus*, Hunno-Avares in auxilium vocavit ad retundendam info-

inſolentiam Zventibaldi, Zvatoplugi, vel Sventopulchri, Moraviæ & Bohemiæ Principis potentiſſimi, continuis incurſionibus Pannoniam devaſtantis, cum vero hi viribus ſuis deficerent, utpote qui ruris jam culturæ magis quam armorum tractationi adſveti erant, miſſis in Aſiam, & quidem, ut *Otrokotsius* opinatur, Iburiam Provinciam legatis, cognatos ſuos Hunnos in Europam invitarunt. Hi igitur ſub Rege *Cuſſale* magno numero irrumpentes Aó. 888. vel 889. ſuperato Tanai in Daciam adventarunt. *Vid.* Annales Fuldenſes, *Aventinus* Annal. Bojorum *Lib. IV. Luitprandus* Hiſt. de rebus Europæ *Lib. I. Cap.* 5.

§. 114.

Nihil de Rege *Cuſſale* domeſtici Scriptores loquuntur; verum ex traditione antiqua Hungaros ſeptem Ducibus uſos fuiſſe, aſſerunt, quorum ſupremus fuerit *Almus*, hoc vero ſub adventu eorum in Dacia occiſo ſucceſſiſſe filium illius nomine *Arpad*, & hunc pro collegis habuiſſe ſex alios, quorum nomina fuerint: *Zabolch*, *Gyula*, *Kund*, *Leel*, *Verbulch & Eurſus*, quorum Capitaneorum cuivis paruerit exercitus ex 30857. conſtans. Contendunt præterea ſingulos hos Duces, ſingula caſtra pro conſervandis uxoribus & rebus ſuis in Dacia condidiſſe, unde Dacia Mediterranea, ſive hodierna Tranſilvania, *Septem Caſtrenſis*, ſeu Siebenbürgen, fuerit appellata. *Vid.* Thurotzius *Part. II. Cap.* 2. Bonfin. *Decad.* 1. *Lib. X.* Ranzanus in *Epitome rerum Hung.* Indice VII.

§. 115.

Exercitum Hungarorum tertium in Europam irruentium pluribus ſubfuiſſe ducibus in confeſſo eſt.

Quip-

Quippe quorum numerum ad trecenta millia Scriptores extendunt. *Conſtantinus Porphyrogenitus*, de Adminiſtr. Imperii, *Cap. XXXVI. ſeq.* octo peculiares eorundem numeravit Nationes, quarum quælibet duos habuerit Principes, alterum *Gyulam*, alterum *Carchan* appellatum, quorum prior controverſiarum Iudex, & arbiter, poſterior vero rei militaris Præfectus fuerit. Poſſibile eſt nomina quorundam horum Principum per traditionem fuiſſe conſervata; de ſeptem vero illis ſupra citatis certi quid ſtatui nequit: cum Scriptores Hungarici multa ſane commemorarint, quæ rationibus & hiſtoricis & Chronologicis aperte contradicunt. Denominationem certe Tranſilvaniæ Septem Caſtrenſis non ex caſtris Hungaricorum Capitaneorum, verum ſeptem potius Civitatibus Saxonicis, multo poſt ortam eſſe, cum aliis demonſtravit *Tröſter. Lib. I.Cap. 15.*

§. 116.

Sententiam, aut opinionem illam communem de evocatione Hungarorum per Avares factam, imo de cognatione etiam cum Avaribus rejecit *Ioh. Peltz.* in Hiſtorica de Rebus Vet. Hung. Commentatione. Hungaros nempe ex octo veteris Scythiæ Nationibus, quæ deinde in unum corpus coaluerint, ortum trahere teſtimonio Scriptorum coævorum evincere ſtudet, eosque a Patzinacitis, cum antea ad Tanaim incoluerint, ſedibus pulſos, partim ad Mare Caſpium, partim ſupra Pontum Euxinum ſe recepiſſe aſſerit, ubi præter duos illos cujuslibet Nationis Duces *Gyulam* & *Carchan* nominatos, ſummum belli Ducem *Arpadem* conſtituerint, ac deinde ſecundum a Patzinacitis pulſi, occidentem verſus Aõ. 889. in magnum illud Moraviæ Regnum, cujus nomine, quidquid Pontum Euxinum

... Granum interjacet, olim veniebat, irruperint, ej... ... incolis Daciam, *i. e.* Valachiam Transilvaniam & Regiones ultra citraque Tibiſcum ſi... occuparint.

§. 117.

Undecunque tamen novi hi advenæ irruerint hoc certum eſt Hungarorum eosdem nomine inſigni... fuiſſe, vel quia revera Hunnorum ac Avarum c... fuerunt, vel quia cum illis Hunno-Avaribus ... in Daciis invenerunt, quive a ſedibus in qua ... fuerunt, Szekhelyiorum nomen obtinuerunt ... junxerunt. Hi itaque Hungari Aó. 892. Arnu... Romanorum Regi auxilium poſtulatum fortite... Dum enim is ex Germania in Provincia ...baldi ſupra memorati irrueret, ipſi ex Daci... rumpentes ditionem illius ſunt depopulati ac Zven... in ordinem redacto, in Daciam quidem re... ſed brevi poſt teſte *Cedreno* a Leone Impe... Orientis contra Bulgaros in auxilium vocati, Si... Bulgarorum Regem ingenti prælio devicerunt.

§. 118.

Aequale auxilium Hungari Aó. 895. Græcis tu... quippe quo Bulgaros ad portam usque Con...tinopolis excurrentes, navibus Græcis clam tran... vecti, diſperſosque iuventos fuderunt, & ſti...pendia quidem eosdem pro hoc ſervitio a Græcis ob...tinuiſſe, auctor eſt *Sigebertus* ad hunc Annum, præ...mia vero ab Arnulpho pro auxilio eidem præſtito ...tes, ad mortem illius Aó. 899. inſecutam exſpectarunt. Quare primo ſtatim Ludovic... fili...

filii & ſucceſſoris illius Anno, cum Sclavis ſocietatem iniverunt acceptisque ad habitandum planioribus Hungariæ tractibus, qui ad Danubium pertinent, per fines eorundem in Germaniam elapſi, Rege per inſidias devicto, cædibus & incendiis omnia devaſtarunt, ut refert *Luitprandus* in Rebus Europ. *Lib. II. Cap. I.*

§. 119.

Devaſtatis Bavarorum, dein Francorum & Svevorum regionibus, Hungari Aö. 902. in Italiæ partem inferiorem irruperunt & Berengarii, Regis Longobardorum exercitu conciſo, incendiis ac rapinis cuncta deformarunt, multa demum pecunia ad redeundum commoti, ut *Regino* tradidit *Chronic. Lib. II.* Redeuntes Bavaris rurſus bellum intulerunt, iisque demum Aö. 907. prælio trium dierum (in quo Luitpoldus Dux & Præfectus finium, uno cum Theodmaro Archiepiſcopo Salisburgenſi, aliique viri illuſtres non pauci cæcidere) ad internecionem devictis, Pannoniam occuparunt & Avaribus cognatis, vel conjunctis, vel ſubjugatis, a Chriſtianiſmo ad avitam ſuperſtitionem deſciſcendi occaſionem præbuerunt, ut retulit ex antiquo codice *Lazius* in Vienna Auſtriaca *Lib. II. Aventinus* item, & *Continuator* Reginonis.

§. 120.

Recepta Pannonia, Hungari cis & trans Danubium ac Tibiſcum incoluerunt. Scriptores Hungarici ſeptem illis Ducibus decantatis inhærentes, cuivis peculiarem Regionem aſſignarunt, ac *Kundum* quidem & *Sabolchum* ad Tibiſcum, *Lebel* ſeu Leel ad Galgoczium, *Arpad* ad Albam Regalem, *Verböcium* ſeu

Ver-

Verbulchum ad lacum Balatonem, *Eurſum* ad oram Savienſem conſediſſe, Daciam vero *Gyulæ* ſubfuiſſe referunt. Hoc certum, Daciam hoc tempore Medíterraneam ſive Tranſilvaniam, præter Romanorum, Avarum & Gothorum relíquias, ab Hungaris etiam fuiſſe inhabitatam, a quibus teſte *Thurotzio*, Erdeliæ nomen accepit.

§. 121.

Hungari in novis ſedibus quieti ſubſiſtere non potuerunt, verum continuas in Germaniam irruptiones fecerunt, ubi demum Aó. 913. juxta Oenum fluvium, a Bavaris & Allemannis victi, Regem ſuum amiſerunt, quem *Aventinus*, *Cuſſalem* nominat, *Conſtantinus* vero *Porphyrogenitus* de Adminiſtr. Imper. *Cap.* 40. Boëbodam, ſeu Vajvodam, *i. e.* Ducem, Arpadum, Almi filium nuncupavit. Subſtitutis in locum demortui Cuſſalis duobus Regibus, aut potius ſummis bellorum Ducibus, Turſatio & Bugato, Hungari prædas ex Germania agere non deſtiterunt ad Annum usque 923, quo Henricus Auceps Germanorum Imperator, pacto tributo, pacem novem annorum ab eis eſt mercatus. Cum vero termino præterlapſo, Aó. 932. tributum repeterent, & loco ejus canem ſcabie correptum, quod ad caudam & aures mutilatum, obtinerent, ac injuriam hanc ulciſci cogitarent: ad Merſeburgum ab eodem prælio tam cruento ſunt devicti, ut vivo Henrico Germaniam incurſare non ſint auſi. *Videant.* Hiſtorici horum temporum, Aventinus, Sigebertus Gemblacenſis, & Continuatores Reginonis.

§. 122.

Poſt mortem Henrici Aucupis Aő. 937. inſecutam Hungari priſtinos mores varia fortuna uſurparunt. Excurriſſe eos prædatum in Galliam & Germaniam Scriptores citati commemorant. Galliæ quidem calamitatem intulerunt, ab Italia per X. modios argenti, quos Hugo Rex eis obtulit, ſunt remoti, in Germania vero, & a Saxonibus, ut vult *Sigebertus Gemblacenſis*, Aő. 939. & a Bavaris Aő. 944. male ſatis habiti fuerunt. Demum cum Aő. 949. *Toxim* Regem creaſſent, novasque incurſiones ſuſciperent, Aő. 955. ab *Ottone I.* filio & Succeſſore Henrici, ad Auguſtam Vindelicorum ad internecionem usque ſunt devicti, victorisque juſſu tres Hungarorum Duces capti patibulo ſuspenſi *Vid.* Ditmarus *in Chron. Lib. II.* Lambertus Schaffnaburgenſis, de *Rebus Germanor.* ad hunc Annum, & Timon *Lib. III. Cap. 6.*

§. 123.

Attriti tot pugnis Hungari manſvetiores fieri & Chriſtianiſmo in dies magis favere ceperunt. Ex Cedreno, Zonara & Curopalate, *Otrokotsius* colligit, jam ante pugnam Auguſtanam Duces Hungarorum duos Bultsum, ſive Bologudem, vel Boloſudem, & Gylam, Conſtantinopoli ſub Auſpiciis Conſtantini VIII. Imperatoris Orientalis, baptiſatos fuiſſe, & priorem quidem illorum ad Ethniciſmum rediiſſe, brevique poſt jubente Ottone ad Auguſtam patibulo affixum fuiſſe, Gylam autem in fide permanſiſſe, captivisque Chriſtianis, quos magno numero redemerit, libertatem impertiviſſe. Fuerit hic is *Gyla*, vel *Gyula* Daciæ & ripæ Iſtri Præfectus, qui Albæ Iuliæ in Tranſilvania

nomen dediſſe creditur. *Confr.* Timon in Imag. Hung. antiq. *Lib. III. Cap. 5.*

§. 124.

Gyulam Daciæ Præfectum, a Theophilacto Patriarcha Conſtantinopolitano, Hierotheum Monachum pro Epiſcopo obtinuiſſe & hunc multos barbarorum ad Chriſtianam Religionem traduxiſſe, auctor eſt *Cedrenus* Compend. Hiſtor. *Tom. II. pag. 636.* primi igitur ex Hungaris Daciæ incolæ Chriſto nomen dare ceperunt. Secuti mox etiam ceteri per vicinos populos forte etiam Avarum reſiduos, quorum haud paucos Chriſto fidos permanſiſſe credibile eſt, permoti; maxime ubi *Geyſa*, qui Toxi demortuo in Regimine Hungariæ Aō. 970. ſucceſſit, fuiſſet baptiſatus ad exemplum Miecislai Regis Polonorum, quem ante quinque annos, cum ſubditorum ſuorum maxima parte Chriſtiana Sacra aſſumſiſſe, Scriptores Poloni teſtantur. *Confr.* Bonfin. *Decad. I. Lib 10. Ranzan.* Epitome Rerum Hungar. *Indic. VIII. & Melchioris Inchofferi* Annales Eccles. ad hos annos.

§. 125.

Converſionem & Geyſæ Ducis & Hungarorum in genere S. Adalberto adſcribunt citati Scriptores domeſtici. Nec id quidem improbabile eſt, cum exteri etiam auctores retulerint, Ottonem Imperatorem ejus opera complures barbarorum populos ad Chriſtum traduxiſſe. Ex litteralibus tamen quibusdam Inſtrumentis, quæ ex Lazio & Volumine Conciliorum attulit *Timon Lib. III. Cap 7.* patet, potiores hac in re partes fuiſſe Archiepiſcopi Laureacenſis Piligrini,

cui

i etiam a Benedicto Pontif. Max. Pannoniæ inferi-
is Epiſcopi, ſicuti Archiepiſcopo Salisburgensi, ſu-
rioris Pannoniæ Epiſcopi, qua ſuffraganei fuerunt
ɔjecti, Anno ut Inchofferus opinatur 980. Geyſa
tem reſtitutis templis compluribus, viris devotis
dique evocatis, cœnobiis etiam non paucis inſtitu-
obiit Anno 997. Succeſsorem relinquens *Stephanum*
ıngarorum primum Regem & Regni Hungarici
ıdierni fundatorem.

§. 126.

Hæc igitur notabilia fuerunt in hiſtoria Hunga-
rum ab ingreſsu eorundem in Dacias uſque ad ini-
m Regni inter illos ſtabiliti. Sicuti hoc certum eſt,
æter Duces cujuslibet inter eos Nationis ſummum
quem integro corpori Ducem præfectum fuiſse:
in denominationibus primariorum horum Ducum
riptores Orientales & Occidentales, imo hi etiam
er ſese diſcrepant. Aventinus nimirum, Luitpran-
s & alii, primum eorum Ducem Regem *Cuſsalem*
minarunt, dein duorum, ut ſupra dictum eſt, *Dur-*
ii & *Bugoti* mentionem faciunt, quos ſecutus fu-
t *Toxis*, ac demum *Geyſa*: Conſtantinus vero Por-
yrogenitus, cui Scriptores etiam domeſtici aſsenti-
tur, primum Ducem ſupremum fuiſse dicit *Arpa-*
m, alterum *Liunticam*, tertium *Phalycim* Arpadi
potem, quartum *Urtzonem*, quo mortuo, Hun-
ri elegerint Geyſam, ſuæ quidem gentis, ſed natura
tiorem, quam barbari patres ſui fuerint, ut loquun-
notulæ anecdotæ *Ortilonis* ex Aloaldo de Peck-
a ad A. 972

Sectio II^da

Ab initio Regni Hungarici ad tempus, quo Transilvania in separatum conversa est Principatum.

Caput Imum.

Sistens Transilvaniam Sub Regibus domesticis a Stephano I. ad Andream III. i. e. ab Aô 1000. usque ad A. 1301.

§. 127.

Stephanus, Geysæ ex Sarolta filia Gyulæ Dac Præfecti, filius, & ex unanimi Hungarorum consen in Ducatu primario Successor, patris vestigiis in stens Christianismum Aô 1000. per Hungariam n rum in modum propagavit, ob eamque rem a Po tifice Sylvestro II. & Coronam Angelicam, & Ci cem ante Regem præferendam cum nomine *Re Apostolici*, accepit Aô. 1000. Christiano igitur r inauguratus Anno sequenti, seriem Regum Hunga corum ordiri meruit. Quæ de nativitate, Baptisr & reliqua ejus vita mirabilia narrantur, scire desi rans, legat *Chartuitii* & *Stiltingii* Vitam S. Step ni, *Anonymi* Vitam S. Emerici, ac præterea cu *Ranzano*, *Thurotzio*, *Bonfinio*, *Inchofferi* Annales l cles. *Petrum de Reva*, de Corona Hungariæ & *monem* loc. cit. *Lib*. III. *Cap*. 8.

§ 1:

§. 128.

Inter res geſtas ejusdem memorabile præcipue ellum contra Gyulam, Daciæ Præfectum, fratrem arolta matris Stephani geſtum. Cum enim hic a atre multum degener Chriſtianiſmo infeſtus, Stephaum religionis cauſsa aggreſsus eſset: ab hoc victus, aptus, dominioque Daciæ privatus eſt, quam Stephaus Hungariæ Regno perpetuo vinculo junxit & per ocumtenentes ſuos inſequentibus annis gubernavit. icebantur hi Vajvodæ, ſi ex belli Ducibus crearenur; Duces autem Erdeliæ, ſi filiis Regiis id munes eſset demandatum. Primus in Dacia Vajvoda a ephano conſtitutus eſt, ille quem brevi ante deviceit, *Gyula* Chriſtianos ritus cum familia amplexus. lujus tempore Stephanus Bulgarorum Ducem, Kean, aciam infeſtantem delecto exercitu Vajvodæ ſubveiens A. 1004. devicit, & ampliſsima ab eodem olia reportavit. *Vid.* Thurotzius Chron. *Part.* II. ap. 28. Bonfin. *Decad.* I. *Lib.* 1.

§. 129.

Demortuo Gyula Stephanus Rex, *Soltanum*, Vajdam Tranſilvaniæ conſtituit. Sub hujus moderamine riſtiana ſacra a Dacis omnibus aſsumta eſse perhintur. Annum univerſalis hujus converſionis Annales trii allegant, a Chriſto nato 1010. Promoverunt icem hanc commutationem & conatus indefeſsi ephani, qui jam ante ſeptem annos Albæ Iuliæ iſcopatum fundaverat, Baſilicamque celebrem inſtierat, ut tradit *Faſchingius*, Dac. Novæ *Part.* II. g. 105. & pax tranquilla regionem fovens ad Annum que 1021. quo Beſsi, ſive Byſseni, eandem incurerunt, quorum tamen furorem Daci præmoniti

occupatis locis tutioribus, feliciter effugerunt. Bonfin. *loc. cit.* & Inchofferi Annales ad hos an

§. 130.

Sub hoc tempus Transilvaniam nostram inc Germanos accepisse certum est. Cum enim Ste nus Rex, Henrici II. Imp. Germanorum Soror Giselam in uxorem duxisset: simul cum eadem c plures Familiæ Germanicæ Hungariam & ex ea Transilvaniam intrarunt. Commemorat in iis Th tzius præcipue genus Hermanni de Noriberga, c prædium hodiernæ Metropoli ab eodem dictæ fu menta præbuit, testibus & nomine ejusdem, & a libus omnino patriis. Stephani favor, quo Germ advenas complexus est, quemve filio etiam suo E rico commendasse litteræ superstites testantur, c plures successive allicuit, ut patria relicta in Hun sedes figerent. Hinc & illorum Germanorum, in Hungaria adhucdum commorantur, & eorum iam, qui in Transilvania Nationem peculiarem co tuunt, origo prima tutissime est repetenda.

§. 131.

Stephanus Rex variis rebus præclare gestis, tandem A. 1038. ætatis circiter 62. diem supre obiit. Moriens prolem ex se reliquit nullam, qu Emericus filius ejusdem unicus, A. 1007. natus, c A. 1027. uxore, tertio post anno adeoque octavo mortem patris decessit. Hanc ob causam *Petrus*, gnomento Allemannus, Stephani ex Sorore ne Guilielmi vero cujusdam Burgundionum Ducis in Regem Hungariæ a proceribus Regni est inaugur quippe quem jam Stephanus Rex in Successorem

de

deſtinarat, ut vult *Inchofferus* in Annal. Eccles. ad A. 1038. alia plane commemorantibus *Thurotzio*, Part. II. *Cap.* 34. & *Bonfinio* Decad. II. *Lib.* 1. qui Giſelæ Reginæ ſucceſſionem Petri adſcripſerunt.

§. 132.

Petrus ab avunculi moribus mirum in modum deflectens ſubditisque eam ob rem exoſus, tertio ſtatim poſt anno, conſilium a proceribus de ejus depoſitione initum comperit, & in Germaniam ad Imperatorem Henricum ſe recepit. Subſtitutus igitur eidem ab Hungaris eſt *Aba*, ſive *Samuel*, ducta ſorore Stephani nobilis, A. 1041. Cum vero hic etiam crudelitate ſua ſubditorum a ſe animos avertiſſet, belloque ab Henrico Imperatore Hungariæ illato, victus, fugatusque eſſet: Petrum Hungari rurſus in Regem receperunt A. 1043. qui ſuperſtite Aba lenem ſatis ſe præbuit, hoc vero A. 1044. interemto, ferociam ſibi propriam reſumſit, quapropter novi in Hungaria tumultus coorti in iisque Petrus ex fuga retractus, Albæque luminibus privatus fuit, ubi paucis poſt diebus obiit, A. 1046. *Vid.* Thurotzius & Bonfin. *loc. cit.* & Inchofferus ad Annum 1042. ſequ.

§. 133.

Petro interemto *Andreas*, Ladislai Calvi filius, Michaelisque fratris Geyſæ nepos, ex Polonia, quo ſe receperat, eſt evocatus, ac in Regem Hungariæ coronatus ſub finem anni 1047. Hic fratrem Belam, Ducem Tranſilvaniæ partiumque contiguarum Hungariæ conſtituit A. 1049. Moto eodem hoc Anno ab Henrico III. Imp. bello, magni fuit auxilium, quod Bela fratri Andreæ tulit. Cum vero A. 1052 pax fieret,

pactis Sophiæ filiæ Imperatoris & Salomonis filii, Andreæ nuptiis, & hic eam ob cauſſam anno ſequenti filium Regem denunciaret: Bela, quem conſenſu ſui mox pœnituit, Aô. 1054. in Poloniam perrexit obtentoque Boleslai Regis auxilio, fratrem Andream Aô. 1059. ad Tibiſcum amnem devicit, & hoc miſere intereunte, ipſe Albæ Rex Hungariæ eſt coronatus *Vid.* Bonfin. *Decad. II. Lib. II.* Thurotz. *Part. II Cap.* 42.

§. 134.

Bela Rex Hungariæ, repulſo Imperatore Henrico Salomonem Regem reſtituere volente, Hungari ſapienter moderandæ operam navavit omnem. Tranſilvaniæ vero & partibus Hungariæ trans Tibiſcanis Duces præfecit filios, *Geyſam & Ladislaum.* Cum vero tertio mox imperii anno, Temeſi jus dicens ruina Throni ſubita conquaſſatus obiiſſet Aô. 1063. Salomon ope Imperatoris Germanorum, Regno Hungarico eſt reſtitutus. Geyſa & Ladislaus auxilio Polonorum obtento, armisque Hungariam repetentes, interventu Epiſcoporum cum Ducatu Tranſilvaniæ, partem quoque Hungariæ adminiſtrationem obtinuerunt. *Vid.* Thurotzius *Part. II. Cap.* 47. Bonfin. *Decad. II. Lib. III.* Ranzan. *Indic.* 10.

§. 135.

Simultatibus inter Salomonem Regem & fratres Duces, ob legationem Imperatoris Græcorum exortis, in apertum demum bellum Aô. 1075. prorumpentibus, Geyſa victor, compellentibus Hungaris, coronam accepit, & Ladislao fratri Ducatum reliquit. Cum vero brevi poſt Aô. 1077. diem obiiſſet ſupremum

La-

Ladislaus invitus omnino in solio Hungarico considere necesse habuit, qui Salomonem vinculis, in quæ a fratre Geysa I. conjectus fuerat, liberavit, novas vero res molientem, de novo in carcerem conjecit, ex qua liberatus, post varios Regnum recuperandi conatus frustra susceptos, in eremum secessit, ac demum Aó. 1086. mortuus, Polæ in Istria sepultus est, Sophiam improlem relinquens, quæ dein Ladislao Regi Polonorum nupsit, ut testatur *Dlugossus* in Histor. Polon. ad A. 1088. *Confr. Szent Ivanyi* in Synopsi Chron. ad A. 1086. & *Michovii* Chronica *Lib. III. Cap.* 1.

§. 136.

Ladislaus inter alia præclare facta, Chunos, Duce Kopulch, in Transilvania grassantes, ad internecionem devicit, Transilvanis *Almum*, Geysæ filium, Colomanni fratrem, Ducem constituit A. 1087. mox Regem Croatarum dixit, immo successorem suum, Aó. 1091. declaravit, uti *Faschingius* ex veteri Instrumento Monasterii Iadrensis retulit in nova Dacia *Part. II. pag. 3.* Cum vero brevi post Aó. 1095. defunctus esset: Almus *Colomanno* Geysæ filio primogenito, in successione cedere coactus est. Hic ex Episcopo, quod fertur, Rex factus, multa crudeliter egit. In his Almum fratrem Imperatore Henrico V. mediante, sibi vix conciliatum, Aó. 1109. excæcari jussit, eodemque facinore in filio ejusdem Bela adhuc infante patrato, anno demum 1114. vivere desiit. *Confr.* Thurotz. *Part. II. Cap.* 47. *sequ.* Bonfin. *Decad. II. Lib. III.* Ranzan. *Indice* 10.

§. 137.

Colomanno successit filius *Stephanus II.* octo fe annos natus, qui procerum prius sub auspiciis, dei sua virtute, regimen feliciter administravit. Fuger hunc, seque in Græciam receperat Almus, Dux Tra silvaniæ. Demortuo illo Aõ. 1125. Ducatus Transilv niæ ad filium *Belam* cæcum est devolutus, imm hic idem Stephano II. regnum abdicante, & monast cam vitam amplectente, anno 1131. in Regem Hu gariæ est coronatus. Stephano brevi post A. 113 demortuo, Bela II. cæcus dictus, pleno Imperio po tus *Ladislaum & Stephanum* filios Duces Transilvani præfecit, & Geysam natu maximum, successorem si destinavit. *Vid.* Bonfin. *Decad. II. Lib 5.* Thurot *Part. II. Cap. 60. sequ.* Ranzan. *Indice XI. - XIII.*

§. 138.

Bela Aõ. 1141. rebus multis præclare gestis d mortuo, *Geysa II.* solium conscendit, qui anno stati insequenti Saxones in Transilvaniam evocavit, m gnisque immunitatibus donavit, non solum ut vas desertisque terris colonos redderet, verum etiam e rum opera Transilvaniam ab incursionibus barbar rum tutam redderet, quare & in sigillo publico & vex lo Nationali hanc illis honorificam indulsit inscriptione

AD RETINENDAM CORONAM.

Saxones igitur isti in Transilvaniam advenientes, n vas exstruxerunt villas & civitates, & jam sub Gey hoc secundo, primo *Mediæ* Aõ. 1146. dein *Sab* Aõ. 1150. & demum *Cibinio* Aõ. 1160. formam d dere munitarum Civitatum sive Burgorum. *Vid. S lerus* in Chronol. *Frankensteinii* Origines Saxon.

Tra

Tranſilvania. *Heltmanni* Diſert. de Germanis ſeptem caſtrenſibus. *Kelpii* Natales Saxon. & *Belii* Notitia Hung. Novæ *Tom. I. pag. 51.*

§. 139.

Geyſa II. Aó. 1161. demortuo, in Regno Hungariæ ſucceſſit *Stephanus III.* filius a patre jam ſucceſſor declaratus. Tranſilvaniæ interea & partibus adnexis præfuerunt prædicti fratres, *Ladislaus & Stephanus.* Horum prior Aó. 1172. Stephano Rege bello Dalmatico occupato, Regiam affectavit dignitatem, quam tamen morte ſuperveniente ultra tres menſes non ſuſtinuit: alter vero ſub nomine *Stephani IV.* fratris occupavit locum, quo etiam poſt quinque menſes moriens cedere neceſſe habuit. Bello inteſtino hoc modo finito Stephanus III. regimini vix reſtitutus eodem anno obiit, ſucceſſorem nactus fratrem, *Belam III.* qui Emericum filium natu maximum ſibi ſucceſſorem deſtinavit, *Andream* autem filium alterum, incertum quo anno, Ducem Tranſilvaniæ præfecit. *Vid.* Thurotz. *Part. II. Cap. 64.* Bonfin. *Decad. II. Lib. 7.* Ranzani Index *XIV.* Nadanyi Florus Hung. *Lib. II. Cap. 16.* Petri de Reva *Centur. I. pag. 12.* Faſchingii Dacia nova *Part. II. pag. 115.* præ aliis vero *Timon* in Epit. Chronol. ex quo geſta Andreæ Ducis in ſeriem ſupplendam. Hermon Comes de Zonuk ſubſcripſit Diplomatibus Aó. 1197. editis Henrici Regis. *Vid.* Palatini pace belloque clariſſimi *p. 25.* *Belii Notitia Tom. I. pag. 115. Tom. II. pag. 232.* Probabile igitur eſſet, eum hunc Vayvodam Tranſilvaniæ fuiſſe, ſi eo jam duo Comitatus Zolnok cum Vayvodatu conjunctus fuiſſet; ſed ſubſcripſerunt iis temporibus Præfecti aliorum Comitatuum.

§. 140.

Bela III. Aő. 1197. demortuo, successit filius *Emericus*, qui & Hemericus, aut Henricus audit, quem Andreas Dux Transilvaniæ solio deturbare incassum laboravit, eique Aő. 1204. vivis exemto, successit filius *Ladislaus*. Hoc vero eodem adhuc anno demortuo, *Andreas* demum ad solium Hungariæ est evectus. Andrea hoc rerum in Transilvania potiente, Saxones ex ruderibus urbes aliquot excitarunt, videlicet *Claudiopolim*, Aő. 1178. *Schæsburgum*, Aő. 1198. *Mercurium* & *Saszváros*, Aő. 1200. *Coronam*, A. 1203. Postquam vero Andreas ex Duce in Regem Hungariæ esset coronatus: *Colomannum* filium natu minorem, Ducem Transilvaniæ declaravit, cui in Regem Haliciæ Aő. 1207. uncto, in regimine Transilvaniæ successit *Bertholdus*, frater Gertrudis Andreæ Regis thalami consortis, Archiepiscopus eo tempore Colocensis & demum Patriarcha Aquilejensis. *Vid Natal. Episcop. Colocens.* & *Timon* in Epit. Chronol, ad A. 1214. vices autem ejus gessisse videtur *Michaël* Vayvoda, subscriptus in Privilegio Andreæ II. Nobilitati Hungaricæ Aő. 1209. indulto, eumque in hoc munere secuti, *Simon*, Aő 1210. *Pal.* pag. 30. *Paulus* Aő. 1215. *Vid. Belii* Apparatus Dec. I. Mon. V. *pag.* 267. *Neuca* ibid. *pag* 204. *Ropoinus* 1218. *Szegedi*, in Decret. & Vitis Regum Hung. *Part. II. pag.* 919. *Benedictus* 1223. *Vid.* Privil. Sigismundi de Abbat. Kertz. *Vid. Fasching.* Dacia nova Part. II. pag. 127. & *Szegedi* in Andrea II. Libertatis Hung. assertore, ad Articul. Diplomatis 30. *Timon* Imag. Hung. N. *Cap. III. pag.* 15. Edit. Vienn. in 4to. 1740. *Idem* in Epit. Chron. *Szegedi* in Vit. & Decret. RR. Hung. *Part. II. pag.* 91.

§. 141.

§. 141.

Andreas II. Rex Aó. 1217. expeditionem in ter-
a sanctam suscepit, Hierosolymitanus inde appel-
s. Comitati eum ad hoc bellum non solum Hun-
i, verum etiam ingens Saxonum Transilvanicorum
ltitudo, ut notavit *Thomas*, Archidiaconus Spala-
sis de Passagio Andreæ. Redux ex Oriente Rex
. 1219. quinto post anno Aó. 1224. Saxonum Tran-
anicorum immunitates, quibus maxima ex parte
iderant, valido Privilegio restauravit, quod pro
damento libertatis hospitum Teutonicorum Vltra-
anorum (quo nomine hic primum appellati occur-
t) merito est habendum. Privilegium illud in Trans-
ntis fide dignis una cum confirmationibus Regum
Principum Transilvaniæ subsequentium in Scrinio
blico Cibiniensi asservatur; exemplum vero inter
os dederunt *G. Haner*, in Histor. Eccles. Transilv.
b. *III. pag. 94. sequ. Laurentius Töppeltinus* in
ig. & Occas. Transilv. Lugdun. Gallor. 1667. &
enna 1760. edit. quorum tamen uterque vocem *Hospi-*
omisit, & verbum *vocavit* in *donavit* mutavit,
culiari suæ de Origine Saxonum sententiæ patrocina-
us, singulari vero libello satis, licet infeliciter illu-
avit, P. I. *Szegedi* Soc. Iesu, cui titulus: Andreas II.
xonum in Transilvania libertatis assertor, quem
rini edidit Aó. 1751. *Vid.* Godofr. Schvartzii Re-
nsio critica operis Töppeltini Rintelii 1765 in 4to edita.

§. 142.

Tenore prædicti Privilegii omnes inter Saxones
ransilvanicos Comitatus, præter Cibiniensem cessare
buerunt radicitus; Comes vero Cibiniensis ab ipso
opulo eligi & a Rege constitui; unde etiam nullus

eos judicare poſſit præter Regem & Comitem Cibinienſem. Ad lucrum cameræ Regiæ Saxones vi hujus mandati annuatim 500. Marcas argenti exſolvere, milites vero 500. intra Regnum, & extra illud ſi Rex adfuerit 100. ſi vero Iobbagionem miſerit 50. tantum ad expeditionem mittere fuerunt obligati. Contra ea libertatem obtinuerunt confirmatam, non ſolum Sacerdotes ſuos libere eligendi & electos præſentandi, ſed etiam illis Decimas juſtas perſolvendi, & de omni jure Eccleſiaſtico eis reſpondendi præterea ſales minutos percipiendi, & ſilvas & aquarum uſus cum ſuis meatibus exercendi, & mercaturæ cauſſa libere ac ſine tributo vadendi & revertendi.

§. 143.

Sub finem regiminis Andreæ Hieroſolymitani *Ropoinus*, ac poſt illum *Gyula*, filius Leuſtathii Vajvodæ Tranſilvaniæ leguntur in monumentis annorum 1228. & 1230. Andrea autem Aō. 1235. demortuo, filius natu maximus, ſub nomine *Belæ IV.* imperium Hungariæ ſimul & Tranſilvaniæ capeſſivit. Hoc regnante Tartari Aō. 1240. Tranſilvaniam pariter ac Hungariam, juxta Annales domeſticos irruerunt, quatuorque in his graſſati annos, Aō. 1243. ad ſua redierunt. *Confr. Stennus Bregenſis* apud Sommer. Allgemeine Weltgiſtorie. Tom. XXI. *Deguignes* Hiſtoire generale des Hunnes, & Diploma Belæ IV. apud Huſztium, *Theſaur. Epiſtol. la Croze* Tom. III. pag. 2. multaque hominum millia ſecum in ſervitutem rapientes, pluribus tamen fame miſeriaque necatis, quam deſcribit *Rogerius* in Carmine miſerabili ſuper deſtructione Regni Hungariæ per Tartaros, apud Thurotzium. *Confr. Bonfin. Decad. II. Lib. 8.* qui Ariſtaldi Comitis Teutonum Tranſilvanicorum Tartaris fruſtra reſiſten-

ſiſtentis mentionem facit. *Ranzan.* Indice XV. *Reva* pag. 15. ſequ. *Thom. Archidiacon.* Cap. XXXVIII. *Timon.* ad Annum 1241. ſequ.

§. 144.

Sub Belæ hujus Quarti regimine patria noſtra, quæ ad hoc usque tempus primum Erdeliæ, dein Vltraſilvaniæ, aut partium Tranſilvanienſium nomine venerat, nunc Tanſilvania, teſtibus monumentis publicis fuit appellata. Ducem ejus ſe dixit in Diplomatibus ab Aõ. 1363. filius Belæ, *Stephanus*, diviſum cum patre jam vivo imperium gerens. Hoc vero Stephano patri, Aõ. 1270. demortuo, plenario juris cum exercitio ſuccedente, regio hæc ſub auſpiciis Regum Hungariæ a Vajvodis, ſeu Locumtenentibus, utplurimum fuit gubernata, quorum non paucos adnotavit *Szent Iványi* in Diſſert. Paralip. & ex ea *Faſching*. Daciæ Novæ, Part. II. §. 3. pag. 120. ſequ. *Confr. Belii* Notit. Hung. Nov. Tom. I. pag. 118. ſequ. *Timon.* Syn. Chronol. pag. 36.

§. 145.


Stephano V. (qui aliis IVtus dicitur) §. 139. Aõ. 1272. demortuo, ſucceſſit filius *Ladislaus IV.* ab inſana in Cumanos propenſione, Cumanus dictus. Sub hujus moderamine, Aõ. 1285. Tartari Hungariam ad Peſtum usque ſunt depopulati, cujus irruptionis incommoda Tranſilvanos etiam ſenſiſſe facile eſt ad conjiciendum. Ladislao a Cumanis interfecto, Aõ 1290. ſucceſſit *Andreas III.* Stephani Poſthumi, Andreæ II. filii, ex uxore Veneta natus, ideoque nomine Andreæ Veneti, inſignitus. Huic a contraria factione

Pon-

Pontifice Romano auctore, Carolus, vix 11. annos natus, Caroli Martelli Siciliæ Regis filius, Caroli Claudi & Mariæ Stephani V. Regis Hungariæ filiæ, nepos est oppositus, in Hungariamque adductus Aö. 1299. Andreas autem turbis desuper coortis excessit moriens, Aö. 1301. Hisce temporibus Vajvodæ partes in Transilvania tenuit *Ladislaus* quidam, quem falso filium Stephani V. Regis Hungariæ & Belæ IV. nepotem dixit *Fasching*. Daciæ Novæ, Part. II. §.3. *Confr. Thurotz.* Part. II. Cap. 82. *Bonfin.* Decad. II. Lib. 9. *Ranzan.* Indic. XVII. *Reva* pag. 19. sequ. *Madii* Histor. de Barbar. Cap. 12. *Lucius* pag. 301.

§. 146.

Regum Hungariæ domesticorum Genealogia sequenti Tabula continetur:



Regum

Regum Hungariæ domesticorum
Series hæc fuit:

Nrus.	NOMINA REGUM.	Quo Anno coronatus vel regimen adivit.	Quomodo & quando regnare cessavit.
1.	Stephanus I.	1000.	obiit Aõ. 1038.
2.	Petrus.	1038.	evasit 1041.
3.	Aba *substituitur*	1041.	fugatus 1043.
	Petrus *restitutus*	1043.	interfect. 1046.
4.	Andreas I.	1047.	interemit. 1059.
5.	Bela I.	1059.	obiit 1063.
6.	Salomon.	1063.	fugatus 1075.
7.	Geysa I.	1075.	obiit 1077.
8.	Ladislaus I.	1077.	obiit 1095.
9.	Colomannus.	1095.	obiit 1114.
10.	Stephanus II.	1114.	abdicat 1131.
11.	Bela II. Cæcus.	1131.	obiit 1141.
12.	Geysa II.	1141.	obiit 1161.
13.	Stephanus III.	1161.	detrusus 1172.
14.	Ladisl. II. R. *occup.*	1172.	obiit eodem.
15.	Stephan. IV. *occup.*	1172.	obiit eodem.
	Stephan. III. *restit.*	1172.	obiit eodem.
16.	Bela III. *coronatus.*	1173.	obiit 1197.
17.	Emericus.	1197.	obiit 1205.
18.	Ladislaus III.	1205.	obiit eodem.
19.	Andreas II.	1205.	obiit 1235.
20.	Bela IV.	1235.	obiit 1270.
21.	Stephanus V.	1270.	obiit 1272.
22.	Ladislaus IV.	1272.	interfect. 1290.
23.	Andreas III.	1290.	obiit 1301.

Caput

Caput II.

Sistens Transilvaniam sub Regibus peregrinis, ex diversis familiis oriundis, a Carolo ad Ferdinandum usque, i. e. ab Anno 1301. usque ad A. 1538.

§. 147.

Post obitum Andreæ Veneti, pars Hungarorum *Carolo* prædicto adhæsit, pars *Venceslaum* Ottocari, Bohemiæ Regis ex Venceslao filio nepotem, in Regem elegerunt, & Aó. 1302. coronarunt. Cum vero hunc Venceslaus pater, de vita filii ob turbas exortas metuens, valido cum exercitu anno statim sequenti ex Hungaria una cum insignibus Regiis reduxisset: magna pars Nobilium Carolo infesta, *Ottonem* Bavariæ Ducem ex Elisabetha, Belæ IV. filia natum, ad Regnum Hungariæ invitavit. Hic igitur Corona Hungarica a Venceslao precibus & minis extorta, Aó. 1305. in Regem Hungariæ fuit coronatus. Ast ubi brevi post anno nempe 1307. Provincias incautius lustraret, seque, corona secum vecta, Regem subditis monstraret: a *Ladislao*, Vajvoda Transilvaniæ captus, neque prius dimissus est, quam extradita corona, juramentoque deposito potestati Regiæ renunciaret. *Vid. Thurotz.* Part. II. Cap. 87. sequ. *Bonfin.* Decad. II. Lib. 9. *Reva* pag. 20. *Ranzan.* Indice XVII. *Madii* Histor. Caput V. *Lucius* pag. 304. *Timon.* Epit. p. m. 42. sequ.

§. 148.

Depulso Ottone, precibus Caroli Martelli, & mi-sis Pontificis Romani, Hungari tandem eo sunt ad-ducti, ut *Carolum* cognomine *Robertum*, jam pri-dem ad regimen evocatum, corona a Ladislao Tran-silvano extradita, inaugurarent, Aõ. 1310. Quum vero Palatinus Regni Mathæus Trencinensis ditiones ad Vagum sitas occupasset, nec rebellionem prius, quam vitam deponeret; Anno demum 1319. Carolus integro Regno Hungarico est potitus. Cæterum Re-gimen illius felicibus auspiciis continuatum est ad an-num usque 1330. quo Carolus svasu *Thomæ Farkas* Vajvodæ Transilvaniæ Bazaradum, Valachiæ Vajvo-dam infausto sane omine, & successu est adgressus; quippe exercitu Transilvanico a Valachis cæso, ipse ex manus hostium vix effugere potuit, Nicolaus vero Præpositus Albensis una cum pluribus Nobilibus Transilvanis misere perierunt; testibus *Thurotzio* P. II. Cap. 97. *Bonfin.* Decad. II. Lib. 9. *Ranzano*, in In-dice XVIII. *Reva* Cent. 4. pag. 21. Sunt qui Tho-mam hac de causa præfectura Transilvanica privatum esse dicunt, ut Fasching. *Part. II. pag. 122.* ast con-trarium omnino evincunt monumenta publica, per quæ constat, eundem munere Vajvodæ ad exitum usque vitæ Caroli functum esse. *Vid. Husti* in Transilvania sub Vajvodis. *Belii* Not. Hung. nov. T. I. pag. 139.

§. 149.

Carolo Aõ. 1342. demortuo, successit Ludovi-cus I. filius natu maximus, ex matre Elisabetha Vla-dislai Poloniæ Regis filia procreatus. Sub initium Re-giminis ejusdem tumultuati sunt Saxones Transilvani, censum nempe Regium, incertum quibus de causis, pendere recusantes, matura tamen correpti pœnitentia

Regis gratiam haud difficulter obtinuerunt, eidemqu in Tranſilvania cum exercitu commoranti Bazaradu quoque Valachiæ Trans-Alpinæ Vajvoda muneribu ampliſſimis transmiſſis ſe ſubjecit; Aſt ubi tertio po anno Tartari Tranſilvaniam per Siculiam irruerent *Andreas* Ladislai filius, regionis hoc tempore po Thomam Vajvoda, cruento eos prælio devicit, & ad ſuos redire coëgit, publico idcirco Diplomate Ludovico Magiſter equitum & Apuliæ Præfectus de claratus eſt, teſte *Faſching.* loc. cit. pag. 124. *conf Thurotz.* P. III. C. 2. *Bonfin.* Decad. II. Lib. 10 *Reva* pag. 24. Circa hoc tempus *Nicolaus* Vajvod Tranſilvaniæ & Comes de Zonuk in monument publicis adſcriptus legitur, qui Thomæ ſucceſſiſſe v detur; Nicolao provincia hac decedente *Stephanu* filius Ladislai de genere Apor, patriæ noſtræ præf cturam Aó. 1345. obtinuit, eamque ad annum usqu 1348. laudabiliter adminiſtravit. *Vid. Huſti* l. c. *Belii* Notitia Hung. nov. Tom. I. pag. 143. ſequ.

§. 150.

Ludovicum necem fratris Andreæ ulturum & a bellum Ioanni inferendum, in Italiam præfectum, Ste phanus Vajvoda eſt comitatus, *Andrea* fratre Præf cturam Tranſilvaniæ obtinente, cum hic vero par ter Aó. 1350. ad bellum Neapolitanum profectus eſſe *Nicolaus* filius Laurentii, ſub auſpiciis Stephani, fr tris Regii Ducis, Tranſilvaniæ Vajvodæ partes i hac regione ſuſtinuit, bello Italico finito uterque fr trum ſupra dictorum prœmia operæ laudabiliter n vatæ tulit & Stephanus quidem Bannatum Sclavoni eſt adeptus, Andreas vero iterum Tranſilvaniæ n ſtræ præfectus, qua fungens dignitate, Aó. 1352. Tart

rc

ros per Siculiam irruentes cruento prælio devicit, & ad sua se recipere coëgit. Postquam ad annum usque 1357. munus hocce laudabiliter obiisset: successorem in Vajvodatu habuit *Nicolaum*, qui ubi Valachos rebelles victore exercitu persequeretur, & in interiorem Regionem Transalpinam penetrasset, inter montes ab hostibus circumclusus, telorum, saxorumve limbo confectus obiit Aó. 1358. *Vid.* *Bonfinii* Decad. II. Lib. 10. *Thurotz.* Part. III. Cap. 3. *Fasching.* l. cit. pag. 120. *Husti* Transilvania sub Vajvodis.

§. 151.

Bello Valachico confecto, Ludovicus ad ripam Histri castrum Severinum ex ruderibus restauravit, in finibus vero Barciæ arcem in lapidem Dieterici, vulgo Törzburg vocatam, Saxonum opera erexit. Vtrique fortalitio præsidium imposuit, ut Transalpinos eo facilius in fide & officio contineret. Vajvodatum Transilvaniæ hoc tempore gessisse *Dionysium* Andreæ patruum, ex Diplomate Ludovici constat, quo anno 1366. Saxonibus Bistriciensibus liberam officialium suorum electionem confirmavit. Huic *Nicolaum* Comitem de Zonuk successisse, Literæ Monasterii Colosváriensis Aó. 1368. exaratæ, quas Hustius descripsit, demonstrant. Circa annum 1370. eadem dignitate functum esse *Emericum*, ex litteris Ludovici patet, in quibus Saxones, quorum opera castrum Landes-Kron, ad Passum Talmatsiensem exstructum erat, collaudantur, & ab omni ulteriori servitio eatenus præstando liberi declarantur. Emerico ad Palatinalem dignitatem evecto, *Stephanus Csáki* Aó. 1372. & post hunc *Ladislaus* Comes de Zonuk, Vajvodæ Transilvaniæ fuerunt. Cæterum Ludovicus rebus variis

præclare gestis, Polonica corona post mortem avunculi sui Casimiri obtenta, nuptiisque inter filiam Mariam & Sigismundum, Marchionem Brandenburgicum, Caroli IV. Imperatoris Romanorum & Regis Bohemorum filium pactis Aő. 1382. vivere desiit. Vitam ejus inter alios descripsit *Ioannes* Archidiaconus de Kükülövár Transilvanus, cujus opusculum *Thuroczius* Chronicæ suæ inseruit. *Vid.* etiam *Ranzan.* Indice XIX. *Reva* pag. 23. sequ.

§. 152.

Ludovico anno 1383. Tyrnaviæ demortuo, filia ejusdem natu major nomine *Maria* in Reginam Hungariæ est coronata, quam aliqui Regem appellavére. Administrationem Regni cum filia, mater *Elisabetha* gerebat. Cum vero utraque auctoritati & gratiæ Nicolai de Gara Palatini nimium indulgeret: proceres regni, quibus hic multis nominibus invisus erat, *Carolum* Andreæ Siciliæ Regis filium cognomento *Parvum* ad Solium Hungaricum evocarunt, annoque 1384. Elisabetha necquidquam nuptias filiæ cum Sigismundo Caroli IV. Imperatoris Romani filio accelerante, Aő. 1385. in Regem coronarunt. Carolus igitur, Sigismundo in Bohemiam recedere coacto, rerum in Hungaria est potitus; brevi tamen post, anno nimirum sequenti, technis Reginarum circumventus, ac per Blasium Forgáts in arce Budensi interemtus. Hoc facto Maria iterum fasces Regni arripuit. Cum vero australes Hungariæ regiones una cum matre, comitantibus Nicolao Palatino, & Blasio Caroli interfectore, incautius lustraret, Ioh. Horvathius Croatiæ Præfectus, necem regis infausti ulturus, utramque Reginam, comitatu eorundem cæso, in carcerem

rem conjecit, in quo mater sub initium anni 1387. exspiravit; filia vero brevi post liberata d. 4. Iunii reducem ex Bohemia maritum, *Sigismundum*, ab Hungaris Regem coronatum vidit. *Confr. Thurotz.* Part. IV. Cap. 1. sequ. *Bonfin.* Decad. III. Lib. 1. *Ranzan.* Indic. XX. *Reva* pag. 25. *Lucius* de Regno Dalmatiæ Lib. V. Cap. 2. *Pauli de Paulo* Memorial. ad annos cit.

§. 153.

Inter Principes factionis, quæ Carolo infelici adhæserat, numeratur Stephanus, filius Ladislai, quem Maria Aő. 1383. ex Vajvoda Transilvaniæ, Banum Sclavoniæ creaverat. Hic licet perfidiam diligenti omnino simulatione celaret, & Sigismundum, Valachos & Moldavos tumultuantes Aő. 1392. ad officium redire cogentem, strenue comitaretur, semina tamen dissensionum spargere non destitit, eamque ob caussam Aő. 1395. pari supplicio cum aliis rebellibus est affectus. Hanc propter severitatem Sigismundus in odium Hungarorum delapsus est, quod postea, cum ad Nicopolim Aő. 1396. infeliciter contra Turcas pugnasset, eousque increvit, ut *Ladislaum*, Caroli Parvi filium ex Apulia ad solium Hungaricum evocare, Sigismundum vero anno 1401. in carcerem conjicere non vererentur. *Vid. Thurotz.* Part. IV. Cap. 9. *Bonfin.* Decad. III. Lib. 2. *Pauli de Paulo.* Memoriale ad annos cit.

§. 154.

Sigismundus brevi post per viduam Nicolai de Gara, in cujus ædibus captus detinebatur, ex carcere

emiſſus eſt. Quare Ladislaus ex Dalmatia pedem in Apuliam retulit, regique legitimo regni iterum potiundi copiam fecit, quod leniter & pacifice poſt hæc adminiſtravit. Inter Vajvodas Tranſilvaniæ poſt prædictum Stephanum, filium Ladislai de Lindva cognominatum, reperitur *Franconius* Comes de Zonuk, filius Konya Aó. 1395. *Stiborius* de *Stiborics* Aó. 1398. *Emericus Bubeck* Aó. 1402. *Nicolaus* de *Marſchal*, Aó. 1403. *Iacobus Latzk* de *Szánto*, & *Iohannes* de *Tamás*, A. 1408. *Nicolaus* de *Chák* Aó. 1416. *Ladislaus* de *Chák* Aó. 1427. *Iohannes Iakcs* de *Kuſſal*, Aó. 1428. & *Desö* de *Loſontz* Aó. 1438. *Videat. Huſzti* Tranſilvania ſub Vajvodis, qui illuſtria hæc nomina omnia monumentis publicis, ex Scrinio Capituli Albenſis, deſumtis, confirmavit.


§. 155.

Sub allegatis Vajvodis parum rerum memorabilium in Tranſilvania geſtum eſt. Sigismundus enim bellis Veneto, Huſſitico, & Turcico diſtractus potiſſimum fuit, quorum ſucceſſum Scriptores Hungariæ & vicinarum regionum prolixe deſcripſerunt. Circa finem imperii ejusdem ab agreſtibus Tranſilvanis, Antonio & Martino anteſignanis, turbas excitatas legimus circa annum 1437. quas *Ladislaus* de Chák Vajvoda brevi feliciter ſopivit. Sub idem hoc tempus Sigismundus, Ioannem Corvinum, filium naturalem ex Valacha Tranſilvana genitum, patrio ductus amore, Hunyadicis prædiis donavit, qui caſtello Hunyad ad defenſionem totius illius diſtrictus erecto, nomen Ioannis Hunyiadis acquiſivit. *Vid. Bonfin.* Decad. III. Lib. 2. ſequ. *Caſpar Helti* Hiſtoria Matthiæ Hunyadis, *pag.* 2. ſequ. *Faſching.* Dacia Nov. Part. 3. pag. 31.

§. 156.

§. 156.

Sigismundus Hungariæ Rex Aó. 1410. Imperator Romanorum & post decennium Rex Bohemorum factus fuerat, mortua Maria conjuge prima, Barbaram Hermanni, Comitis Ciliæ, filiam in matrimonium sumserat, ex qua illi sola Elisabetha nata, quam Alberto Archiduci Austriæ in matrimonium dedit. Hunc igitur generum suum successorem designavit, & postquam eum proceribus commendasset, e vivis excessit, Aó. 1437. Cum igitur *Albertus*, proprie is fuerit, qui extraneorum Regum seriem incepit, non abs re fuerit, brevem Regum prægressorum, Stephani prosapiæ quodammodo adhuc annumerandorum, subtexere Genealogiam, quæ sic habet:



§. 157.

Sigismundo successit *Albertus*, Aó. 1438. i Regem Hungariæ coronatus, eodemque a Bohemi in Regem, a Germanis vero in Imperatorem est ele ctus, qui mox sequenti Aó. 1439. bello Hussitic & Turcico sine successu gesto, ex esu peponum mor bo correptus obiit. Sub hujus Regimine *Desö de Lo sontz* Transilvaniæ præfuit, in quam, testibus annali bus templi Coronensis, Amurathes Turcarum Impe rator, Hungariæ infestus, Aó. 1438. Mezethen Ducem suum immisit, qui direpto Sabeso ingenten multitudinem hominum per Provinciam Brassovi ensem, villis, suburbibusque Coronensibus igne con sumtis, in servitutem deduxit. *Sigleri* Chronol. a annum citat. *Thurotz*. Part. IV. Cap. 25. *Bonfin* Decad. III. Lib. 4. *Ranzan*. Indice 21. *Reva* pag. 33

§. 158.

Alberto sine prole defuncto, Hungari *Uladisla um*, Poloniæ Regis filium, ad thronum evocarunt Nato interea posthumo Alberti filio, Ladislao, ingen tes inde seditiones sunt exortæ, aliis Polono, alii Ladislao adhærentibus, quem mater non solum i gremio suo coronari fecit; verum etiam corona sub repta cum eodem in Austriam fugit, bellum intesti num movens sane cruentum. Uladislaus in Hunga riam adventans, *Ioannem Corvinum Hunyiadem*, ho tempore Severinensem Banum, partibus suis adhæ rentem, Vajvodam Transilvaniæ creavit, eique *Nico laum de Vjlàk* adjunxit, Aó. 1441. Ioannes, ho munere fungens, Turcas eodem anno ad Villam S Emerici fudit. Anno vero sequenti 1442. eos

Bel-

gradi obsidione cruento prælio depulit, Mezethem ssam, post solutam Belgradi obsidionem in reditu ansilvaniam diripientem, interemit, & Scyabadino ro Turcarum Duce ad Portam Ferream fu-, Turcas ad pacem deposcendam coëgit. Qua ta, brevi post, suasu Cardinalis Iuliani iterum sta, Uladislaus ad Varnam civitatem Aő. 1444. 10. Novembr. ingenti clade affectus, interiit. *Vid.* *urotz.* Part. IV Cap. 31. sequ. *Bonfin.* Dec. III. Lib. & præcipue *Callimachus*, de Rebus gestis Uladislai, m *Lucius*, de Regno Dalmatiæ, Lib. 5. Cap. 4.

§. 159.

Uladislao exstincto, Hungari *Ladislaum* Posthuum, in cunis jam coronatum, ex Austria reposcent, ob infantiam vero ejusdem regni gubernatiom, Aő. 1445. Ioanni Corvino commiserunt. Hic raculam Vajvodam Valachiæ, a quo in fuga Varnsi moram passus fuerat, aggressus eundem vicit, simul cum filio natu majore capite minuit. Cum mum Ladislaum regem, Friderico Imperatori exrsisset, ipse Gubernatoris officio cessit, Aő. 1452, gnitate Capitanei generalis contentus. Ladislaus veeidem Magistratum pristinum confirmavit, ac eum m Comitem Bistriciensem perpetuum creavit. Quasequentibus etiam temporibus, rege ad solium Bomicum evecto & eapropter utplurimum absente, ngariam strenue tuitus est, ac demum multis rebus clare gestis, Albaque Græca, Aő. 1456. ab obsione Turcarum iterum liberata, d. 10. Sept. ejusm anni, Semlini obiit, Albæ Juliæ in æde Michas Archangeli sepultus. *Vid. Thurotz.* Lib. IV. Cap. *Bonfin.* Dec. III. Lib. 7. *sequ.*

§. 160.

§. 160.

Temporibus hiſce, quibus Corvinus nomen Gubernatoris Regni Hungariæ fungebatur, *Emericus Belluſi* & *Nicolaus Ujlak* Tranſilvaniæ præfuerunt, ambo Corvini in expeditionibus bellicis ſtrenui commilitones. Ille in prælio interiit, quod Corvinus contra Amurathem in Campo Merularum, Aó. 1448, in finibus Raſciæ & Bulgariæ ex proditione Georgii Despotæ Myſiæ, infeliciter geſſit. Hic vero Corvino aliquot annis ſupervixit. In eadem hæc tempora incidit annus, quo Thorda ex ruderibus veteris Salini, in Tranſilvania condi cœpta, quem *Timon*, in Epit. Chronol. annum 1455. Annales vero patrii, annum 1453. fuiſſe commemorant. *Confer. Faſching.* Dacia Nov. part. 3. pag. 132.

§. 161.

Ioanne Corvino demortuo ſimultates inter Ulricum, Comitem Ciliæ, & Ladislaum, filium Corvini natu majorem, enatæ, illi mortem Futaki in ſuo hoſpitio per manus famulorum Ladislai illatam, huic brevi poſt ſupplicium Budæ ab eodem ſumptum accelerarunt, Aó. 1457. Matthiæ denique, fratri Ladislai natu minori, captivitatem attulerunt. Quibus rebus commotus Michaël Szilágyi de Horogſzeg, Matthiæ Corvini avunculus, quippe Eliſabethæ Corvinorum matris frater germanus, ob res ſub Ioanne Hunyiade fortiter geſtas, clarus, militibus coadunatis Tranſilvaniam aggreſſus, brevi tempore eandem totam in ſuam redegit poteſtatem. *Vid. Thurotz.* Part. IV. Cap. 61. *Bonfin.* Decad. III. Lib. 8. *Timonis* Epitom. Chronol. ad Annos cit.

§. 162.

§. 162.

Ladislao Rege eodem anno præmentionato 1457. d. 24. Novembr. Pragæ demortuo, Michaëlis Szilágyi opera effectum est, ut *Matthias Corvinus*, captivus Vienna Pragam deductus, in campo Rákos in Comitiis Pestensibus pro Rege Hungariæ eligeretur; ipsi vero Michaëli administratio Regni Hungariæ, cum titulo Gubernatoris ad quinquennium committeretur. Hic igitur Ladislai Hunyiadis cadaver Buda Albam Iuliam transtulit, & prope parentis monumentum condidit; præterea vero cum Georgio Podiebrad antea Gubernatore, nunc Rege Bohemiæ, in cujus manibus Matthias electus Rex Hungariæ remanserat, eo transegit, ut illum ducta filia Catharina, & pretio 60000. aureorum, ab Hungaris exsoluto liberum esse atque ad Hungariæ solium conscendendum redire pateretur. *Vid. Thurotz.* Part. IV. Cap. 64. *Bonfin.* Decad. III. Lib. 9. *Reva* Centur. 2.

§. 163.

Transilvaniæ Vajvoda a Matthia præpositus est, *Ioannes Pongratz*, circa annum 1461. Sub hujus præfectura Ali-Beg Mysiæ præpositus ex improviso Transilvaniam irrumpens impune vastavit. Cum vero idem facinus paulo post repetere vellet, Pongratzius eidem ad Temesvarum valida cum Siculorum manu occurrit, illumque ad Danubium usque persecutus, magna clade affecit. Anno insequenti idem hic Vajvoda Matthiam Regem in Transalpinos est comitatus, apud quos Dragul & Blád fratres, de imperio decertabant, horum contentioni Rex finem imposuit, illo nempe in regimine confirmato, hoc vero in vin-

cula

cula conjecto. Ista occasione Matthias Cibinium iam venit, ibique septem viros ad reducendam I garis Regni coronam constituit, qua etiam erga 60 Ducatos, a Friderico Imperatore ægre obte Aô. 1468. fuit coronatus *Vid. Thurotz.* Part. Cap. 63. *Bonfin.* Decad. III. Lib. 10. *Ranzan.* 23. *Reva* pag. 88.

§. 164.

Post *Pongratzium*, qui derelicta Transsilvaniæ fectura Matthiam Regem ad bella comitabatur, voda Transsilvaniæ factus est *Ioannes* e Comi *S. Georgii*, quem Transsilvani ob tributa extraor ria, auctore *Benedicto Verres* (Ruso) rebella Aô. 1466. invitum in Regem elegerunt. Hon oblatos recusans Vajvoda Matthiæ in Transsilva adventanti, facile est reconciliatus. Hic autem ventu procerum Claudiopolim, mox Thordam i cto, a potioribus rebellionis coriphæis supplic sumsit (quod Rufus, nostris Roth, in Poloniam a giens evitavit) reliquis vero complicibus perpet exilium indixit. Cum vero quidam illorum, cle tia Regis abusi, in patria nihilominus commorari gerent: octo ex iisdem in foro Cibiniensi, Ma huc adventante, unico die per manus carnificis mium inobedientiæ obtinuerunt. *Vid. Thurotz.* I IV. Cap. 66. *Bonfin.* Decad. IV. Lib. 1.

§. 165.

Ioanne Comite de St. Georgio & Botzin, causam §. præcedenti indicatam, præfectura T silvaniæ remoto, Matthias administrationem Pr

iæ hujus, *Sigismundo* e Comitibus *St. Georgii*, qui ıperioris Hungariæ præfectus erat, & *Bertholdo Ellerbach* de *Monyorò Kèrèk* Aó. 1467. contulit, illum ›rovinciam ſibi commiſſam adiviſſe non reperitur; hic ıutem eodem anno Matthiam in Moldavos eſt comitatus, ɥui Duce Stephano Vajvoda ſuo, obſequium detre-ƺtantes, in Tranſilvania quoque factiones nutrire non leſiſtebant. Valachis ad internecionem devictis, ?etroque Vajvoda in locum Stephani profugi, conſtituto, Rex ad Braſſovienſes, vulneris in bello Moldavico accepto ſanandi cauſa divertit, deprehenſosque rebellionum auctores, merito ſupplicio affecit, quorum tres Michaël Székely, Aladarius & Nicolaus le Vizakna, Claudiopoli candentibus forcipibus diſcerpti, reliquorum vero bona fiſco adjudicata fuerunt. *Vid. Bonfin.* Decad. IV. Lib. 1. *Faſching.* Part. III. pag. 152.

§. 166.

Bertholdo, Regem Matthiam ad Auſtriacam expeditionem ſecuto, *Nicolaus Csupor*; qui in bello Moldavico virtutem ſuam commendaverat, Vajvoda Tranſilvaniæ eſt declaratus Aó. 1468. Hoc quoque ad expeditionem Matthiæ in Bohemos ſuſceptam profecto, Stephanus, Moldaviæ Vajvoda, fines Tranſilvaniæ eſt depopulatus, Petrumque a Matthia conſtitutum, interceptum capite truncavit, & hoc modo rerum in Transalpinis iterum eſt potitus. Conciliatus tamen hic poſtea fuerat Matthiæ; quippe adſcitis in belli ſocietatem Tranſilvanis, irruptionem Turcarum, qua ſub nuptiis Matthiæ Valachiam & Tranſilvaniam, Aó. 1476. fœdarant, ſtrenue ultus eſt, ingentem eorum exercitum in fugam agens, prædam-

que

que reportans, ex qua & Pontifici Romano, & Hungariæ ac Poloniæ Regibus dona mittere potuit haud contemnenda. His temporibus Catalogo Vajvodarum Tranſilvaniæ *Ioannes & Nicolaus Bathorei* inſeruntur, de quibus tamen, utrum ſimul aut alternatim munere dicto functi fuerint, non ſatis conſtat. *Vid. Bonfin.* Decad. IV. Lib. 1. *Podeſtæ* Chron. Turcic. pag. 150. ſequ. *Timon.* Epit. Chron. ad annos cit.

§. 167.

Bello & Bohemico & Polonico feliciter geſto, Matthias Aô. 1478. Stephanum Bathori Vajvodam Tranſilvaniæ & Paulum Kiniſi, Banum Temeſienſem, Turcis irruentibus occurſuros conſtituit. Egregie hac provincia functus eſt heros Bathori, jam in ſuperioribus expeditionibus virtute clarus. Anno enim inſequenti 1479. ubi Ali-Begus cum ingenti Turcarum multitudine per Portam Ferream in Tranſilvaniam irrueret, Mariſiique confinia longe lateque vaſtaret: Stephanus Præfecto Temeſienſi Paulo Kiniſio auxiliante victoriam numeris omnibus abſolutam, de Barbaris in Kenyer-Mezö reportavit. Occubuere hoc prælio barbarorum 60000. Tranſilvanorum autem 10000. ac in his Saxonum non pauci, unde fabula poſtmodum enata eſt, Saxones pacto tributo militari, & inverſis inſignium enſibus, vacationem militiæ redimiſſe; cum tamen enſes decuſſatim poſiti, non Nationis, ſed particularia Cibinienſium inſignia conſtituant, & Saxones poſt hoc prælium ſæpius in acie contra hoſtes ſtetiſſe, hiſtoriæ patriæ loquantur. *Thurotz.* Part. IV. Cap. 64. *Bonfin.* Decad. IV. Lib. 6. *Timonis* Epit. Chron. ad annum cit. *Faſching.* pag. 156-157.

§. 168.

Matthiæ circa finem imperii, Austriam bello petenti, Stephanus Vajvoda comes ivit, Vicarium vero ejusdem in Transilvania egit *Antonius Szarmagius*. Rex deinde bello hoc Germanico feliciter gesto, Aõ. 1490. diem obiit supremum, nulla post se prole legitima derelicta. Vitam ejusdem Antonius Bonfinius, Italus, aulam Matthiæ secutus, in Historia Hungariæ prolixe descripsit, impensumque ejusdem, quo eruditionem prosecutus fuit, amorem, ad vivum delineavit. Iungendus illi est *Ranzanus* Indic. 30. *Reva* pag 40. sequ. & *Galeotus* de sapienter & jocose Dictis Matthiæ Regis Hungariæ. Genealogia illius, teste Casparo Helto, in Vita Matthiæ Hunyiadis, cum antecedentibus Hungariæ Regibus sequenti modo est connectenda:

SIGISMUNDUS.

Ex Barbara, Comitis Ciliæ filia, genuit.

Elisabetham, nupt. Alberto.

Ladislaus, posthumus, R.

Ex Valacha, Marsinai Ersébeth.

Ioannem Corvinum.

Ladislaus, Matthias R. Hunyiades.

§. 169.

Mortuo Matthia, ex quatuor Regni competitoribus, Ioanne Corvino, Matthiæ filio illegitimo, Alberto Poloniæ Regis filio, Vladislao, Rege Bohemiæ,

& Ma-

& Maximiliano Rege Romanorum, Vladislaus ſ bus Beatricis, Matthiæ derelictæ, imperium obtir coronatus Aő. 1491. Huic annis insequentibus c æmulis imperii dimicandum fuit, quare Ali - Be Sinderoviæ Præfectus Aő. 1493. quo Stephanus thori, abdicata jam antea Transilvaniæ Præfectu mortuus erat, hanc Provinciam irruit, & ex eac magna præda, quinque dierum ſpatio collecto, o ſtus abiit; recedentes tamen Turcas tumultuaria Si lorum manus ad Rubram Turrim eſt adorta, & ſ rosque eorum demta præda, montium præcipitiis præterlabentem fluvium Alutam deturbavit. *Vid. I fin.* Decad. IV. Lib. 9. *Reva* pag. 54. *Iſtvanſi* ſtor. Pannoniæ, Lib. 1. & *Sambucci* Appendix Ranzan.

§. 170.

Stephano Bathoreo Vladislaus II. binos ſuff Transilvaniæ Vajvodas, *Ladislaum Loſſontzium Lelesz*, & *Bartholomæum Drágfi*. Cum vero hi n inter ſe convenirent, ipſe Rex Aő. 1494. in Tr ſilvaniam ſe contulit, & Ladislao ad Magiſtri cu officium promoto, ſolum Bartholomæum Vajvod conſtituit, cum quo exactis a Transilvania 6000 aureis, exercituque conſcripto Bulgariam vaſtavit, jurias nimirum ulturus, anno præcedenti Transilva per Turcas allatas. In hac regione vero proxi temporibus memorabile nihil accidit, niſi quod A 1495. lues contagioſa eandem valde afflixerit. An vero inſequenti Vladislaus Rex, Stephano, Vajvc Moldaviæ a Polonis deficienti, & eapropter regi ejecto, arcem Csicso inter alpium juga, quæ Tr ſilvaniam a Moldavia diſterminant, ſitam, cum p

ſeſ

ſionibus ad eam pertinentibus donavit. *Vid. Miles* iebenbürg. Würg-Engel. pag. 2. *Annales templi ronenſ.* ad annos cit. *Faſching.* Dacia nova, Part. I. pag. 162.

§. 171.

Bartholomæo Vajvodæ, *Petrum*, e Comitibus de . *Georgio* & *Botzin* Aõ. 1504. huic autem *Laurentium* de *Vjlak* ſucceſſiſſe fertur. Vtut ſit, hoc rtum eſt, cum Regi Aõ. 1506. filius *Ludovicus*, ſicute dictus, natus fuiſſet, & ex moribus antiquis Siculorum Tranſilvanicorum ſingulis patribusfamis liac occaſione bos exigeretur, hos illud facere cuſaſſe, ingentemque, cum vis eisdem inferretur, tuultum excitaſſe. Miſſus itaque a Rege equitum præctus Paulus Tomori, qui Aõ. 1506. rebelles ad niora conſilia reducere conaretur. Verum hi ad Fom Siculorum, ſive Vasarhely, legatum regium adti, prælio commiſſo, ſaucium in fugam conjecent. Brevi tamen poſt Tomoreus majori exercitu llecto, injuriam illatam, ſtrenue ultus, reluctantes ælio victos, ad obſequium debitum redire coëgit. *id. Iſtvánfi* pag. 53. *Miles* ad hunc annum. *Bonf.* Decad. IV. Lib. 9. *Reva* pag. 55. ſequ.

§. 172.

Turbis hujusmodi obicem poſiturus Vladislaus, *annem* de *Zapolya*, Stephani Comitis Scepuſienſis ium, ejusdemque terræ dominum Aõ. 1509. Dae Vajvodam conſtituit. Sub initium regiminis ejus, ſo forte extra provinciam commorante, Turcæ Tranvaniam irruerunt, verum mox a Præfecto Temeſi-

I enſi

enſi, Ioſa de Czoron, ad fiuvium Bartzam victi ac profligati fuerunt. Circa idem tempus *Rádul*, Valachiæ Vajvoda, Budam profectus, muneribus ampliſſimis devotionem ſuam Regi teſtatus, oppidum Algyod in Tranſilvania ſitum donatum accepit. Sequenti Aó. 1510. alium Valachiæ Vajvodam *Michne* dictum, Cibinii a Demetrio quodam, cognomento Iakſid, interfectum, hunc vero pariter a civibus e medio ſublatum eſſe, annotavit *Miles* pag. 7. *Confr.* Annales templi Coron. & *Sigleri* Chron. ad annum cit.

§. 173.

Circa hoc tempus *Thomas Bakacsius*, Archiepiſcopus Strigonienſis, exercitum Cruciatorum per publicatas in Hungaria indulgentias coëgerat. Hisce *Georgium Doſam*, Siculum Tranſilvanum, præfecit, eosdemque illi in Turcas ducendos commiſit. Cum vero numerus illorum ad 80000. creviſſet, & nobiles Domini ſervos & agreſtes ſuos, vi & inſidiis ab hoc exercitu retraherent: Doſa ad iram commotus inſtigantibus Laurentio & Michaële, Clericis quibusdam, arma in barbaros deſtinata adverſus cives patriæ vertit, ac crudeliſſime in quosdam optimates ſævire cœpit. Reprimere eum conatus Ioannes Bornemiſſa, partem colluviei hujus delevit. At Dosa tanto ferocior factus Temesvarum, in eoque Stephanum Bathori obſedit. Quare Ioannes Vajvoda Aó. 1514. copiis Tranſilvanicis coadunatis rebellem eſt aggreſſus, fuſum fugatumque una cum complicibus primariis cœpit, dirisve, quæ meruerant, ſuppliciis affecit. Prolixiorem hujus facti deſcriptionem tradunt: *Tubero*, Commentar. Lib. X. §. 5. ſequ. *Reva* Cent. 6. pag. 54. *Iſtvánſius* pag. 72. *Miles* pag. 8. & 9.

§. 174.

174.

Anno inſequenti 1515. Vladislaus Viennæ, præſente fratre Sigismundo, Rege Poloniæ, cum Imperatore Maximiliano fœdus illud, quod jam ſub initium regiminis de ſucceſſione Regni Hungariæ ad Sereniſſimam Domum Auſtriacam iterum transferenda pepigerat, ſolenniter confirmavit, pactis nempe nuptiis inter filiam ſuam Annam, & unum ex nepotibus Maximiliani, Carolum vel Ferdinandum, itemque inter Ludovicum, Vladislai filium, & Mariam, Maximiliani ex Philippo Hiſpaniarum Rege neptem. Ioannes interim Scepuſienſis, præclarum contra Turcas facinus cum Stephano Bathoreo & Michaële Pakſi meditans, arcem Zarnod eisdem eripere voluit: aſt inopinato ab Ali Baſſa oppreſſus, & in fugam conjectus, quam ſuperiori anno adeptus fuerat, virtutis famam haud mediocriter attrivit. Brevi poſt Vladislaus regnum ſumma cum ignavia adminiſtratum, filio *Ludovico* reliquit, moriens nimirum Aó. 1516. die 12. Martii. *V. Iſtvánfi*. pag. 73. *Tubero* Lib. X. §. 7.

§. 175.

Ludovico II. minorenni & regimini moderando plane impari, proceres Gubernatorem addendum cenſuerunt. Cum in hac ſententia Ioannes præſertim Vajvoda perſtitiſſet: Regis iram mature ſibi contraxit, quam tamen in Provinciam ſuam ſe abdendo prudenter evitavit. Rex igitur imbellis, ſibi & ſui ſimilibus relictus, vitam per epulas & ſpectacula mollem transegit, ac ærarium publicum, quod pater jam nimium quantum debilitaverat, penitus exhauſit. Reſciens hoc Turcarum Imperator *Solymannus* Ludovico fœ-

dus Vladislai cum Selimo pactum renovare detrectanti, bellum intulit, Hungariam devastare cœpit, & maximam partem Slavoniæ sub potestatem suam redegit, imo Albam Græcam Aó. 1521. sub idem ipsum tempus, quo Maria, Ludovici sponsa, in Hungariam advehebatur, expugnavit, ac præterea Valachiam & Moldaviam sibi tributariam fecit. *Confr. Reva* Cent. 6. pag. 63. *Istvánfi*. Lib. IV. *Sambuccus* in Appendice ad Bonfinium. *Timonis* Epit. Chronol. ad annum cit.

§. 176.

Eodem Anno 1521. rebellionem Siculorum Transilvanicorum contra Ioannem Vajvodam insurgentium Scriptores patrii annotarunt, quam hic, male contentis apud Darotz & Szent-Pál cruento prælio devictis, feliciter sopivit. Sicuti vero genuinam hujus tumultus caussam nullibi allegatam invenimus: ita quod ad tempus, quo evenerit, discrepant relationes; dum *Miles* & *Siglerus*, eundem ad Annum 1518. *Annales* vero templi Coronensis, ad Annum 1521. retulerunt. Cæterum ab hoc tempore apud Saxones morem invaluisse, templa sua mœniis & turribus circumdandi, & in castellis hisce facultates suas præcipuas deponendi, iidem Scriptores annotarunt, cui instituto Turcarum ex Hungaria æque & Valachia frequentes in Transilvaniam factæ irruptiones, miserorumque colonorum deprædationes ansam præbuerunt. *Confr. Timon.* Epit. Chron ad annum cit.

§. 177.

Ab hisce temporibus mutatio Sacrorum in Transilvania proprie est repetenda. Iacta sunt illius funda-

fundamenta Cibinii Aõ. 1521. ſub Matthia Colomanno, Plebano Cibinienſi Capitulique Decano, potiſſimum ſcriptis Lutheri, per mercatores in Tranſilvaniam allatis. Sub ſucceſſoribus ejus, Martino Pileo Petroque Woll, ſemper majora incrementa, eis tamen invitis, cœpit; tandem vero opera & ſtudio Matthiæ Ramaſchi, Paſtoris Aõ. 1536. *XVI.* Kal. Iunii electi, conſummata eſt, conſultis Aõ. 1543. Martino Luthero, Philippo Melanchtone ac Ioanne Bugenhagen, quorum litteræ reſponſoriæ Coronæ junctim editæ ſunt. Primum itaque mutatio Sacrorum inter Saxones, deinde etiam in Hungarica Natione aſſeclas quam plurimos, obtinuit. Prolixiorem harum rerum deſcriptionem, ſed quoad Eccleſiam Cibinienſem, nonnunquam mendoſam, tradunt *Georg. Haner* in *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, pag. 148. ſequ. *Franciſcus Papai* in libello, cui nomen eſt: *Rudus Redivivum*, *Andreas Oltard*, in *Concione vi-ſitatoria*, quibus addendus, *Schmeitzel* in *Diſſertatione de Statu Eccleſiarum Lutheranarum in Tranſilvania*, & *Miles* ad annum cit.

§. 178.

Contentus fuit Solymannus annis proxime ſecutis victoriis exteris, & Hungariæ ſolum Severinum ſubegit. Cum vero legati ejusdem Aõ. 1525. male a Ludovico habiti eſſent: anno inſequenti 1526. exercitu ducentorum millium, Hungariam inundavit, quæ ob diſſidium magnatum & Regis Ludovici juventutem in prædam paratam eidem ceſſit. *Ludovicus* enim, auxiliis ab Imperatore Romanorum nondum obtentis, exercitu 40000. militum, quos Ioannes Vajvoda, & ...000. quos Chriſtophorus Frangepanius, Croatiæ ...nus adducebant, non expectatis, ex conſilio *Pauli*

Tomorei, Archiepiscopi Colocensis, solis 25 millibus Hungarorum stipatus, cum tanto barbarorum exercitu manum conserere non dubitavit, atque adeo die 29. Augusti ad Oppidum Mohács ad internecionem devictus, & in fuga, quæ integrum exercitum suum ac potiores Hungariæ proceres absumsit, in amne Crasso, seu Tsele-Pataka, ab equo suo oppressus obiit, in quo post duos demum menses inventus & in Alba Regali sepultus est. *Vid. Steph. Broderith* de Prælio ad Mohacs. *Istvanfi*, Lib. IV. *Reva*, pag. 63. *Wolfgang. de Bethlen*, Hist. Transilvanica, Lib. I. pag. 8. sequ.

§. 179.

Postquam fama cladis hujus percrebuisset: Frangepanius exercitum suum in Croatiam reduxit; Ioannes vero Vajvoda, cum Transilvanis suis ad Szegedinum substitit, speculaturus nimirum, quid Solymannus porro agere constituisset. Hic autem, cum Hungariam integram facillime hoc tempore sub jugum rapere potuisset, devastatione ejusdem contentus, a Buda, quam incendi curavit, reversus, spoliis mancipiisque onustus Adrianopolim contendit, posteaquam hac occasione in Hungaria tam cæsorum, quam captivorum 200000 periissent. Hoc regressu comperto Ioannes Budam, & postea Albam Regalem ad comitia est profectus, in quibus ab asseclis suis in Regem Hungariæ electus Aó. 1526. d. 1. Nov. ac brevi post coronatus fuit; licet multi procerum *Ferdinandum*, Archiducem Austriæ ob matrimonium cum Anna Ludovici sorore initum & pacta inter Matthiam & Fridericum, Vladislaum & Maximilianum conventa, in Regem legitimum expetiissent. *Vid. Wolfg. de Bethlen*, Lib. I. p. 12. seq. *Sambuccus*, in App. Bonfin. *Istvanfi* & *Reva*, l. c.

§. 180.

Ioannes Rex factus, præfecturam Transilvaniæ *tro Perényio* commisit. Cum vero Maria, Ludovi- Vidua, comitia Posonium indixisset & in iis, Ste- ano Bathori Palatino Præside, *Ferdinandus* in Hun- iæ Regem electus, Ioannis vero electio irrita de- rata esset: hic sequenti anno, 1527. Budam dere- uit, Ducibusque illius, Francisco Bodone & Paulo kiczio, ad Tokainum a Ducibus Ferdinandi de- tis, ad Poloniæ Regem, affinem suum se recepit: rdinandus autem Rex declaratus, corona Hungariæ r Perenyium (qui cum multis aliis Ioannis partes reliquerat) allata, d. V. Novembr. in Alba Regali so- nniter inauguratus est. *Vid. Wolfg. de Bethlen*, Lib. pag. 39. *Ioh. Zermegh*, Hist. Rerum inter Ferdi- nd. & Ioh. gestarum, Lib. I. §. 5. *Casp. Urs. Ve-* , Bellum Pannonicum, Lib. 1. *Istvanfi*, Lib. V. *va*, pag. 64. *Miles*, pag. 19.

§. 181.

Ferdinandus, Petrum Perenyium & Valentinum Török, cum copiis in Transilvaniam misit Aó. 1528. qua jam multi Provincialium, & litteris a proceribus ungariæ ad eos exaratis, & opera Georgii a Rei- ersdorff, Ferdinandi Regis Secretarii, ad partes o-electi Regis fuerant traducti. Cum vero illi rdinandi Duces in eo occupati essent, ut reliquos oque Provincialium a partibus Ioannis etiam vi ad- bita retraherent, Petrus Moldaviæ Vaivoda in Tran- vaniam irrumpens, subito in eos impetum facit, piasque illorum in fugam agit, ac fusis, Tran- vaniam porro populando peragrarit, undemum

Bistricio expilato, in Poloniam penetrans, a Tarnovio Palatino victus, omnibusque spoliis ex Transilvania adductis privatus est. *Vid. Bethlen*, Lib. I. pag. 39. *sequ.*

§. 182.

Ioannes Rex, interea annum ferme integrum apud Tarnovium prædictum in Polonia commoratus, cum Frangepanium in Hungaria inter motus illius gratia susceptos in obsidione Varadini occisum, reliquos vero Duces tantum non omnes in partes Ferdinandi transiisse comperisset, literasque suas ad Pontificem & Ordines Imperii Germanici exaratas, eventu destitui videret; tandem a Hyeronimo Laskio Palatino Siradiensi, eo se adduci passus est, ut per hunc ipsum a Solymanno Turcarum Imperatore, auxilia adversus Ferdinandum efflagitaret, horumque promissionem illico obtineret. Quo comperto Ferdinandus Transilvanos ad fidelitatem strenue est exhortatus, iisque *Petrum Berenyium* Vajvodam constituit, ac Ioannem Katzianer valido cum exercitu, se ad eos propediem missurum promisit, in Hungaria autem bellum contra Turcas gerendum magno conamine apparavit. *Vid. Zermegh.* & *Velius*, loc. cit. *Bethlen*, Lib. I. pag. 49.

§. 183.

Sub initium Anni 1529. Petrus Moldaviæ Vajvoda, denuo in Transilvaniam irrupit, & Sedibus Siculicalibus expilatis prope Bistricium ad sua remeavit. Idem, cum ineunte vere Solymannum Hungariam petere intellexisset, novam irruptionem faciens Barciam devasta

aſtavit, devictisque ad oppidum Földvar, Tranſil-
is, qui eum Ducibus, Nicolao Gerendi, Epiſco-
Tranſilvano, Stephano Maylath, Conſiliario, &
rco Pemflinger, Judice Regio Cibinienſi, aggreſſi
rant, magna iterum præda onuſtus, in Moldaviam
liit. Ioannes vero Rex, de Patroni ſui in Hunga-
m adventu certior factus, eodem contendit; cum-
e ibidem mox diverſi ad illum proceres cum ſuis
piis confluxiſſent, *Stephanum Bathori de Somlyo*,
iis Vajvodam Tranſilvaniæ declaravit, eumque ad
ovinciam ſibi conciliandam, & adverſus Maldavo-
n impetus tutandam amandavit, hocque facto So-
nannum in campis Mohacsienſibus ſalutavit, inſi-
es ab eo policitationes aſſecutus. *Vid. Bethlen*,
g. 52. *ſequ. Zermegh*, Lib. I. §. 9. *ſequ.*

§. 184.

Solymannus promiſſis ſuis ſatisfacturus, Budam
ntinuo occupatam Ioanni reſtituit, adjunctoque ei-
in Ludovico Gritti, Andreæ Principis Veneti, ex
atre Byzantina filio naturali, cum ingenti exercitu
ſe urbibus Hungariæ certatim ſeſe dedentibus die
XVI. Sept. Viennam oppugnare cœpit. Oppugnati-
ie iſta, ad diem XIV Octobr. continuata, amiſſis
0000 ſuorum, Budam eſt reverſus, ibidemque Io-
nem, d. XXI. Octobr. ſolenniter in Regem Hun-
ariæ inauguravit atque Adrianopolim poſtea remea-
it. In Tranſilvania Stephanus Bathori Saxonicas
ivitates ad obedientiam Ioanni præſtandam com-
ulit, ſolo excepto Cibinio, quod longa obſidione
caſſum clauſit. Petrus vero Moldavus, quartam
Tranſilvaniam irruptionem tentavit, & Kal. No-
embr. Coronenſem arcem expugnavit, cujus præſi-

diarios Senatus urbis grandi ære redimere necesse habuit, quo obtento prædator ad sua iterum concessit. *Vid.* Bethlen. Lib. I. pag. 58. Zernegh. Lib. I. §. 11. Isthvanfi Lib. X. pag. 158. Miles pag. 22. Jovius Hist. sui temporis Lib. 40.

§. 185.

Anno insequenti 1530. Ioannis Duces Szigethum, Ferdinandi vero Præfecti Budam, frustra obsederunt, pro cujus strenua defensione a Mechmete Bassa cum exercitu adventante, sustentata, Ioannes Rex, Thomæ Nadasdio, arcem contulit Fagarasiensem cum Districtu ad illam petinente. Moyses enim Valachiæ Vajvoda, quem a Dragano ejectum, Dux Ferdinandi, Stephanus Maylath restituerat, brevi post Türtzburgum, immo Coronam ipsam numeroso exercitu frustra obsedit, Barciaque devastata, multos in captivitatem Transsilvanos abduxit. Ex altera etiam parte Petrus Moldavus, quintum in Transsilvaniam veniens, Bistricium d. XIII. Decembr. obsidione clausit. Cum vero propter anni tempestatem efficere nihil posset, multis suorum amissis regredi est coactus. *Vid. Bethlen*, Lib I. pag. 59. *Zermegh*, Lib. II. §. 1. 2. itemque *Annales* de Rebus Transsilvanicis *Mscr.*

§. 186.

Solymannus Anno 1531. Hungariam iterato petiit. Cum vero præter occupationem quorundam locorum & devastationem Provinciarum Ferdinandi nihil in hac expeditione effecisset, & Dux ejusdem quidam cum 15000. Turcis, in Styriam emissus, profligatus esset, ac denique nuntii ex Asia tristes adven-

adventarent, ſubito cum exercitu ſuo in Thraciam remeavit. Hinc, cum ob bellum Perſicum Ioanni porro ſuppetias ferre non poſſet, per Grittium eidem pacem cum Ferdinando ineundam ſuaſit. Quibus compertis, Ferdinandus Balthaſarem Banffium, Palatinum Hungariæ, Aő. 1532. cum copiis quibusdam in Tranſilvaniam miſit. Hic autem Szathmarinum & Nemethium, civitates adortas incendit & diripuit, eoque ipſo facto, omnes Ferdinandi intentiones peſſundedit. Miſſo enim a Ioanne, Gothardo Kun, Bánffius remeare neceſſe habuit, & Szathmarinum iterum in Ioannis venit poteſtatem. *Vid. Bethlen*, Lib. II. pag. 69. ſequ. *Zermegh.* Lib. II. §. 1. ſeq.

§. 187.

Eodem Aő. 1532. Ioannes, Ludovicum Grittium, Gubernatorem Regni Hungarico Tranſilvanici, ſuumque Locumtenentem conſtituit. Hic vero mox collato ſibi officio abuſus, varios haud ignobiles viros, inſcio Rege ac innocentes ſupplicio affecit. Cum vero ejus cauſſa a Ioanne reprehenderetur, ira percitus, Hungaria derelicta, Conſtantinopolim eſt reverſus, animumque Solymanni a Ioanne abalienare eſt conatus. Ioannes vero Laskio ad Ferdinandum ablegato, & litteris ad Carolum V. Imperatorem miſſis, unius anni inducias, ac præterea hoc obtinuit, ut Commiſſarii utriusque partis de pace deliberaturi, Poſonium convenirent, unde tamen infecta re, Ferdinando prætenſionum ſuarum nullam remittere volente, rurſus abierunt. In Tranſilvania interea Ioannes vacantem Regionis Præfecturam *Emerico Cibak*, Epiſcopo Varadienſi, concrediderat, qui eam pro inſi-

gni sua virtute decenter, licet per breve admodum tempus, administravit. *Vid. Bethlen* & *Zermegh.* l. c.

§. 188.

Annus 1533. legationibus huc illucve directis transactus. Ioannes nimirum, misso ad Carolum V. & Ferdinandum illius fratrem Archi-Episcopo Colocensi, inducias alterius etiam anni obtinuit. Solymannus vero ex Grittii consilio Mehemedem quendam, ad Ferdinandum, aliosve legatos ad Pontificem Clementem & Carolum Imperatorem expedivit, conditiones proposituros pacis, quam Ferdinandus etiam per Comitem Salmensem, Ioannem, ad eosdem ablegatum urgere non destitit. In Transsilvania autem tantæ hoc anno aquarum fuerunt exundationes, ut Alutæ impetu Fagarasinum fere absorbtum, fortalitium vero in faucibus Alpium prope Talmáts exstructum, & *Turris Rubra* vocatum, dimidia sui parte privatum fuerit. *Vid. Bethlen.* Lib. II. pag. 71. *Zermegh.* Lib. II. §. 6. itemque *Annales Herrmanni* Mscr.

§. 189.

Infensus & Ioanni Regi & Hungaris, Grittius, Aó. 1534. cum 7000. Turcis a Solymanno ad componendas Ioannis & Ferdinandi disceptationes, missus in Transsilvaniam ad Coronam urbem, mala animo consilia agitans, adventavit. Obviam eidem processit Emericus Cibak, securitatis assecuratione per Petrum Sacerdotem obtenta; in itinere autem per Ioannem Daczo, unum ex Ducibus Hungaris Grittium comitantibus ad pagum Felmeren, in Sede Rupensi, est interfectus, caputque ad Grittium Coronam adductum,

&

& hoc permittente in templo ad latus altaris ſepultum, corpus vero in pagum Almás devectum, ibidemque humatum eſt. Vlturi hanc cædem Provinciales undique ſtatim confluxere, immo Valachiæ etiam & Moldaviæ Principes, variis a Grittio injuriis laceſſiti, in Tranſilvaniam advolarunt. Grittius igitur Mediam ſe recepit, ubi vero, quum ex hac urbe aufugere vellet, ab Hungaris captus, & manu carnificis obtruncatus; interemtor vero Cibakii Vajvodæ, Ioannes Daczo, a populo diſcerptus eſt. Turcæ, qui ex comitatu Grittii ſuperfuerunt, dimiſſi, filii vero ejusdem a Petro, Moldaviæ Vajvoda, abducti & trucidati ſunt. *Vid. Bethlen.* Lib. II. pag. 73. *Zermegh.* Libr. II. §. 8. *Jovius* Lib. 32. *Reva* pag. 76. *Iſtvánſ.* Lib. XII. *Miles* pag. 25.

§. 190.

Suſpicio, quæ Laskium premebat, quod necis Cibakianæ non ignarus fuerit, incarcerationem ei contraxit, intercedentibus tamen Polonis, brevi poſt non tantum liberatus, ſed etiam muneribus ampliſſimis honoratus eſt, odiumque populi vitaturus in Poloniam remeavit. Præfecturam Tranſilvaniæ vacantem, Ioannes, *Stephano Maylath*, qui a Ferdinando ad partes Zapolyanas transiverat, Epiſcopatum vero Varadienſem, Georgio Monacho contulit, qui natione Dalmata, in aula Matthiæ, & eo mortuo, in famulitio matris Ioannis Regis vixerat, hinc vero in collegium Monachorum Csenſtochovienſium ſe abdiderat, ac Ioannem e Polonia redeuntem in Hungariam comitatus fuerat. Maylathius mox inſcio Rege contractis copiis Moiſen Mogilam, Moldaviæ Principem, ejectum introducere tentans, a Petro Vaj-

voda

voda Turcarum auxilio sustentato, captus est, & difficulter e custodia elapsus, vix tandem ad suos reverti potuit. *Vid. Bethlen.* Lib. II. pag 74. *Isvanfi.* Lib. XII. pag. 201. *Zermegh.* Lib. II. §. 8. sequ.

§. 191.

Negotio pacis inter Ferdinandum & Ioannem justo lentius procedente, excursiones hostiles, Aó. 1535. ab utraque parte redintegratæ sunt. Cassovia præsidiariis illius corruptis in Ioannis venit potestatem, Arx vero Saros, a Ferdinandeis capta. Præterea Ioannis copiæ a Germanorum duce, Felsio, ad Eperiesinum in fugam actæ, & quod ad maximam partem in Tibiscum præcipitatæ fuerunt. Afflixit hoc anno inaudita Transilvanas partes fames, qua aliquot hominum millia absumta sunt. Hæc eadem forte caussa fuerit, quæ Cibinienses hoc demum anno commovit, ut post resistentiam septem annorum, Maylathi Vajvodæ admonitionibus, & promissis cederent, & se Ioanni Regi submitterent, cum jam antea per legatos ad Ferdinandum missos, necessitatem hoc faciendi Domino suo excusassent. *Vid. Bethlen.* Lib. II. pag. 77. *Zermegh.* Lib. II. §. 9. *Herrmanni Annales* Politici Mscr.

§. 192.

Ferdinandus excursionibus Turcarum lacessitus, cum præsertim Belgradi præfectus, Mahometh Iahiogli diversas illius arces occupasset, Aó. 1536. Ducem Katzianer cum exercitu contra Turcas misit, hic vero Esseko frustra obsesso, exercitum reducere a Mamede coactus, imo commisso prælio in fugam actus

pr

præcipuis ſuorum amiſſis, Viennam rediit, ubi in carcerem conjectus, eodemque elapſus, defectionem ad Turcas meditans in Croatia interfectus eſt. Ioannes hac clade comperta, Ferdinandum tractabiliorem fore ratus, iterum legatos, pacis componendæ cauſſa ad eundem miſit. At illi pacis tractatibus in annum ſequentem Varadinum translatis, Poſonii nihil præter inducias obtinuerunt. Hocce præterito anno, Valentinus Török derelicto Ferdinando, ad partes Ioannis transivit. Tranſilvani vero Moldaviæ Principis arcem Balványos, in Siculia ſitam, occuparunt. *Vid. Bethlen.* Lib. II. pag. 80. ſequ. *Iſtvánſi.* Lib. XII. pag. 210. *Zermegh.* Lib. II. §. 10.

§. 193.

Durantibus per annum 1537. inter Ioannem & Ferdinandum induciis, nil hoſtiliter actum eſt. Circa finem vero anni, utriusque partis legati Varadinum convenerunt, & tandem ſequentis anni ſub initium, pacificationem tamdiu deſideratam confecerunt, cujus ſumma eo rediit, ut quilibet controvertentium posſeſſiones ſuas retineret, adeoque Ioannes ad dies vitæ, cum titulo Regis, Tranſilvaniam & partes quasdam Hungariæ, Ferdinandus vero reliquam Hungariam cum Sclavonia, Croatia & Dalmatia ſibi ſubjectam haberet, mortuo vero Ioanne ditiones Regni Hungariæ omnes ad Ferdinandum redirent, & filio illius, ſi quem ſuperſtitem reliquiſſet, patrimonium integrum ſub titulo Ducatus Scepuſienſis remaneret. Integrum pacificationis hujus Inſtrumentum XLII. Articulos complectens, tradit *Wolffgang. Bethlen.* Lib. II. pag. 81. usque 91. Summam vero illius exhibuit *Iſtvánſi.* Lib. XII. pag. 215.

Pars IIItia.

Historiam exhibens ævi recentioris, ab Anno 1538. ad nostra usque tempora.

Sectio Ima.

Transsilvaniam sistens sub Principibus Hungaris. ab Anno 1538. usque ad Annum 1699.

Caput I.

Sub Scepusiensibus ab Aô. 1538 - 1571.

---

§. 194.

Compositis hoc modo inter Ferdinandum & Ioannem dissidiis, Transsilvania peculiaribus Principibus parere cœpit. Agmen horum ducens *Ioannes* de *Zapolya*, in pacificatione Varadiensi, quam tamen publicare nolebat, promiserat Solymannum communem hostem judicare. Cum igitur hic anno eodem 1538. ingenti cum exercitu in Petrum Moldaviæ Vajvodam moveret, cui variis de caussis irascebatur: Ioannes ob necem Grittii & fœdus cum Ferdinando in præjudicium Turcarum initum, timens ne Solymannus Petro oppresso, se quoque adoriretur, exercitum 80. millium contraxit, & a Ferdinando auxilium

ium sibi ex pacto submittendum flagitavit, mox vero auxilio hoc frustra exspectato, ab Ibrahimo Bassa admonitus, consilium Turcis resistendi mutavit, & Petrum, qui in arcem Csicso profugerat, ibidem obsedit, Solymannoque duris verbis ingratitudinem & defectionem sibi per legatum exprobranti, hoc ipso facto se excusavit, & fidei non violatæ fidem fecit, imo eundem eo perduxit, ut Stephano fratre in locum Petri constituto, domum rediret, quo Ioannes illi Petrum paulo post captivum submisit. *Bethlen* l. c. pag. 92. *Zermegh.* Lib. II. §. 10.

§. 195.

Sopitum hoc modo Solymannum, Hyeronimus Laskius Ferdinandi ad Portam Ottomannicam legatus, injurias sibi olim a Transilvanis illatas, ulcisci cupiens, contra Ioannem denuo acerbavit. Cum vero hic multo iterum auro iram Turcarum demulsisset, tranquillo nunc imperio fruiturus, Aõ. 1539. filiam Sigismundi I. Poloniæ Regis, Isabellam, matrimonio sibi junxit. At durantibus his adhuc nuptiis Albæ Regiæ celebratis, turbæ ex Transilvania nunciatæ sunt, quas *Stephanus Maylath*, & collega ejus in Vajvodatu, *Emericus Balassa* excitaverant, qui, cum prior frustra apud Solymannum, ut Rex Transilvaniæ appellaretur, efficere conatus esset; convocatos ad Thordam, in campum cruciatum Provinciales sollicitaverant ad defectionem, cum eos, ob imperatam a Rege ingentem auri summam ad tributum Turcicum biennale solvendum, jam male cum eodem contentos animadvertissent.

§. 196.

Ad coërcendos seditiosos Ioannes, Aó. 1540. ir Transilvaniam profectus, Thordæ conventum provin cialium instituit, eoque Vajvodas ad caussam dicen dam citavit. Balassa, cujus arces Dióð & Almás jussu Regis funditus eversæ sunt, veste lugubri indu tus comparuit, veniamque cum lacrimis petitam, im petravit. Maylathius vero in arcem suam Fagarasien sem, quam ex spoliis Grittio detractis egregie mu niverat, sese abdidit, cujus obsidionem Ioannes, Vi lentino Török demandavit. Ipse Rex vero, postquar tributum biennale Turcis de proprio solvendo, an mos omnium ad obsequium flexisset, Albam Iuliai se contulit, ubi legatum Caroli V. Cornelium Du plicium audivit, mox vero svasu medicorum valetud nis caussa Sabesum se contulit. Hic autem gravic rem in morbum incidit, qui aliquantum remisisse v debatur, ubi nuntius nativitatem filii, cui nomen *I annes Sigismundus* inditum postea fuit, Buda, ul eum Isabella die III. Iulii enixa erat, adferret. Co vivio igitur solemni, hujus caussa instituto, Rex inte fuit, imo postea de duello duorum Nobilium jus d cturus, tribunal conscendit; hic vero subita vertigin correptus ac in cubiculum deductus sequenti noc animam eflavit, d. 21. Iulii, anno ætatis quinquagesim tertio. Corpus Regis mense Septembri Albam Regian est deductum ibidemque inter Reges Hungariæ hu matum. Dotes egregias Ioannis ex Bruti & Simig ani *Mscriptis* tradidit *Bethlen*. Lib. II. pag. 111. Na vos etiam illius attingit *Iovius* l. c. pag. 232. *Istva fi*. Lib. XII.

§. 197

§. 197.

Conſtituerat Ioannes teſtamento, brevi ante mor-
n Sabeſi confecto, Petrum Petrovithium, ſangvine
i junctum, & Georgium Monachum, Epiſcopum
radienſem, Regni ſui tutores. Hi igitur, cum trans-
io illa Varadienſis publicata nondum eſſet, cum
>ceribus in funere Regis Albæ congregatis, filium
us *Ioannem Sigismundum* in Regem Hungariæ ele-
:unt. Cum vero is ob infantiam Regno præeſſe
n poſſet, ab iisdem proceribus adminiſtratio illius
ımviris, *Petro Petrovithio*, *Georgio* Monacho, &
lentino Török, eſt demandata, ita quidem, ut pri-
intima conſilia regeret, Georgius ærario præeſſet,
poſtremo denique rei militaris cura incumberet.
ıc diſpoſitione complurimi Magnatum male con-
ıti fuerunt, qui ex partibus Ioannis, ad Ferdinan-
m transierunt, Perennyus in his & Bebeckius. Tran-
ⱳani interea in comitiis Schæsburgi celebratis, Vaj-
datum Regionis iterum Stephano Maylatho & Eme-
o Balaſſæ detulerunt. *Vid. Bethlen.* Libr. III.
g. 118. ſequ.

§. 198.

Compertis hisce omnibus Ferdinandus Iſabellam,
r Comitem Nicolaum Salmenſem ad ſervanda fœde-
cum Ioanne inita hortatus eſt, ejusque filio non
lum Provinciam Scepuſienſem, verum & ipſi quid-
id ad dotem illius pertineret, & amplos præterea
ditus alios promiſit. Hac vero ad patrem Sigis-
undum provocante, Duces Ferdinandi mox Viſſe-
:adum expugnarunt, Vatziam & Peſthum oppugna-
ınt, Budamve obſidione clauſerunt. Quare Soly-

mannus, ad quem Regina statim post obitum Ioannis, Regni Cancellarium, Stephanum Verbötzium, & Episcopum Quinque Ecclesiensem, Ioannem Eszeki, legatos miserat, ejusque tutelam pro se & filio imploraverat, eidem nuntiari curavit, se ipsam & Ioannem Sigismundum neo-electum Regem in clientelam recipere & huic ad confirmandam illi Regiam dignitatem insignia nova pretiosissima, purpuream togam, clipeum & clavam & gladium misit, ac Laskio Ferdinandi legato in carcerem conjecto, magnos ad bellum apparatus fecit.

§. 199.

Ineunte mox vere anni 1541. Duces Solymanni Vsrev-Muhamed & Amurathes, Valentino Török juncti, Vatziam expugnarunt, deinde Pesthum obsederunt, ob morbum vero inter equos grassantem obsidionem tollere & intra fines suos se recipere, necesse habuerunt: quare Ferdinandus per Perennyum & Rogendorffium, Budam a die II. Iunii, acerrime oppugnavit, ad diem usque XXVI. ejusdem, quo Belgradi & Bosniæ præfecti, cum copiis suis Solymannum prægressi advolarunt, & varias post velitationes exercitum Ferdinandi Danubium transire volentem dissiparunt, Perennyo Agriam se subducente, Rogendorffio vero Comaromium delato, ubi ex vulnere accepto brevi post vivere desiit. Superveniens autem victoriæ Solymannus mense Iulio, *Ioanni Sigismundo* infanti, munera misit, eumque ad se in castra ad veteris Budæ suburbia posita adductum, filiis suis pro fratre habendum commendavit, dein rem ita disposuit, ut Budam, quoad Ioannes adolesceret, suo præsidio clam introducto teneret, reliquas Hungariæ partes

tes, inde a Cassovia incipiendo una cum Transilvania Isabellæ traderet. Quibus peractis, Isabella Transilvaniam petiit, Solymannus ad sua remeavit, quo etiam Valentinum Törökium in vinculis semet abduxit, qui in Turcica captivitate demum fato functus. *Vid. Bethlen.* Lib. III. pag. 118-134. *Istvanfi.* Lib. XIV. pag. 243. *Iovius* l. c. Lib. XL. *Leonclavii Histor. Muselmannica* Lib. XVIII.

§. 200.

Interea Stephanus Maylath in Transilvania cum Emerico Ballassa, omnem in asseclas Isabellæ crudelitatem exercuerat, quare Transilvanis a Solymanno commonefactis, ut ab iis secederent, nec ullum illis auxilium ferrent, Achmetem Bali-Beghum, Nicopoleos Præfectum & Petrum Moldaviæ Principem, in Transilvaniam ablegavit, ut illos vivos aut mortuos sibi transmitterent. Hi igitur Maylathum in arce Fagaras obsederunt, & arte quadam circumventum in vinculis Solymanno miserunt, in cujus carcere post decem annos, diem obiit supremum. Paulo post Emericus Balassa, ejusdem cum Maylatho factionis, exilio est mulctatus. Factum hoc est Aó. 1542. quo Regina Isabella, quæ primum Lippæ substiterat & Georgium Monachum ad animos Transilvanorum sibi conciliandos præmiserat, ab his invitata cum filio suo Albam Iuliam se contulit, Regnique administrationem ita distribuit, ut *Petrovithio* Temesvariensem, *Leonhardo Szötsio*, Cassoviensem, ac *Georgio Monacho*, Tibiscanam committeret ditionem, sibi vero Transilvaniam & Marmatiam (Maramoros) gubernandas reservaret. *Vid. Bethlen.* l. c. Lib. III. pag. 138. seq. & *Auctor.* supr. cit.

§. 201.

Anno 1543. Petrus Moldaviæ Princeps, Turcicis copiis assumtis, per Bozam passum in Transilvaniam irrupit, & penes Bistricium præda onustus i Regionem suam remeavit. Quare Regina, quæ hoc, o tributum Solymanno non solutum, factum esse cognoverat, summam 10000. aureorum, sub initium Iunii Turcarum Imperatori transmisit. Georgius etiam Monachus, quem Solymannus oppugnationi Strgonii & Albæ Regalis intentus, ut cum copiis Transilvanicis ad se veniret, evocarat, has quidem dor continuit, necessitatem præsidii hisce temporibus Imperatori repræsentans; ast ingentem tamen commetus vim exercitui illius ex Transilvania submisit. Cæterum calamitatem a locustis inusitatæ magnitudin regioni hoc & præcedenti anno illatam, ut & terræmotum Patriæ scriptores adnotarunt. *Miles & Sigl* ad annos cit. *Bethlen.* Histor. Lib. III. pag. 142.

§. 202.

Durante Bello inter Solymannum & Ferdinandum Hungarico Aõ. 1544. Isabella arcem Csicso consensu Ordinum demoliri curavit, injurias ultu Petri, Moldaviæ Principis, qui hoc iterum anno Transilvaniam hostiliter invaserat; at brevi post ad sua r dire coactus fuerat. Eadem Aõ. 1545. in Thordensibus comitiis centum sibi ad sustentationem aulæ s censum pendendum constituit, ac alia hoc & sequenti anno ordinavit, quæ ad bonum publicum pertinere credidit. Hujus promovendi caussa Eadem A 1547. Georgium Monachum authoritate sua abutentem ad rationem ærarii administrati reddendam adigere est conata, cum vero hic soli se Regi, ubi ac

leverit, rationes redditurum reſponſiſſet, ac majores in dies ſibi ſpiritus ſummere pergeret: Regina de ejusdem inſolentia apud Solymannum ipſum eſt conqueſta. Verum & hujus admonitionibus id unice eſt effectum, ut Georgius ſimulata comitate iram conceptam tegens, totus in id incumberet, ut & Iſabellan & filium ejusdem circumventos, Regno privaret.

§. 203.

Confirmavit hoc illius propoſitum *Albertus Peregus* Aô. 1548. a Ferdinando delegatus, ut Georgium ſpe amplioris fortunæ in fidem ſuam ſollicitaret, qua etiam provincia tanto ille functus eſt cum ſucceſſu, ut Monachus Aô. 1549. cum Nicolao Comite Salmenſi, & Sigismundo Herberſteinio, die VIII. Sept. in oppido Bátor colloquium inſtitueret, & de ceſſione Tranſilvaniæ ab Iſabella pro Ducatu Oppolienſi ineunda deliberaret, eaque occaſione Archiepiſcopatum Strigonienſem, imo Cardinalitiam in promiſſis acciperet dignitatem. Regina vero, his inſidiis compertis, omnia ſtatim per Ioannem Szalantzi, Solymanno aperuit, eumque querelis ſuis tantopere commovit, ut per legatum eidem nunciaret, ſe Baſſam Budenſem, & Moldaviæ ac Valachiæ Principes miſſurum, qui Georgio aut capto, aut interfecto, eam ſecuram præſtarent. Idem hoc Provincialibus publico edicto eſt notificatum, omnesque ad arma contra Georgium capeſſenda, juſſu Imperatoris Turcarum excitati fuerunt.

§. 204.

Simultatibus itaque, quæ Reginam ac Georgium clam adhuc interceſſerant, palam erumpentibus, Pe-

trovithius jussu Isabellæ cum copiis advolans, castella ad Marusium occupavit, & Tsanadinum per Rascianos obsideri curavit. Monachus vero Thomam Varkuts, obsessis auxilio misit, qui obsidentes fortiter repulerunt. Idem interea per legatum ad Solymannum missum se excusavit, pejerans sibi falsa illa omnia, quæ ad Imperatorem delata essent, imputari, sancteque promittens, se confestim ad Reginam iturum jussisque illius omnibus dicto audientem futurum. Hac arte expeditionem contra eundem ornandam retardavit, Reginæ vero, licet per demississimas litteras eandem demulcere conaretur, usque adeo persvadere non potuit, ut illius promissis fidem haberet, ut potius profectionem Lippam, vel in Poloniam, suscipiendam meditaretur, a quo tamen proposito & litteris matris suæ, & Consiliariorum motivis est retracta.

§. 205.

Georgius igitur Aõ. 1550. in Transilvaniam advenit, sed exercitu stipatus haud contemnendo. Occupatis hic civitatibus Media & Sabeso, Siculos in partes suas sollicitavit, Cibinienses vero, ut Reginam in urbem eorum se recipere volentem non intromitterent, adegit. Quare Petrovithius cum 5000. militum ad eandem accurrit, Bassamque Budensem, ut Reginæ quantocyus subsidio veniat, evocavit. Cum vero hic, tempestatis caussa, statim adesse non posset: Georgius comitia Agropolim indicavit, ibique duobus Hondorffiis clam interfectis, Regnicolas contra Isabellam concitavit. At cum ab istis nihil aliud obtinere potuisset, quam ut missis ad Isabellam legatis, eam exhortarentur, ut cum Georgio in gratiam rediret: hic cum exercitu suo 20000. militum, Albam

Juli-

Iuliam obſedit, atque a Regina, ut ſe ad arbitrium ſuum dederet, efflagitavit. Hæc vero fortiori quam ſperaverat animo reſtitit, ita, ut Siculis ad ſaniorem mentem reverſis, Georgius ad reconciliationem cum Iſabella deſcendere neceſſe haberet, quam etiam deprecatione ſua fucata, dimiſſove exercitu obtinuit, quo facto eductis Media & Sabeſo præſidiis, Varadinum officio ſuo priori functurus contendit.

§. 206.

Georgio vix egreſſo, Baſſa Budenſis ex una, Vajvoda vero Valachiæ ex altera, & Moldaviæ denique Princeps ex tertia parte in Tranſilvaniam irruperunt, ad auxilium contra Monachum efflagitatum Reginæ ferendum. Iſabella igitur legatum cum muneribus Baſſæ obviam miſit, qui gratiis pro fatigio actis, Baſſam de complanato rerum Tranſilvanicarum ſtatu edoceret. Cum vero auxiliatrices iſtæ copiæ recedere nollent, & Tranſilvaniam vaſtare inciperent, Georgius a Regina imploratus, exercitum ad Sabeſum contraxit, ac parti uni copiarum Ioannem Kemenyum præfecit, qui Transalpinenſes ad Rubram Turrim in fugam egit, alteram vero partem Ioanni Török, Valentini filio, commiſit, qui Turcas Baſſæ præcurſores ad Devam fudit, eique talem incuſſit metum, ut ſubito Budam ſe reciperet. Quibus auditis Moldaviæ Princeps *Elias*, Siculia impune vaſtata pariter viam redegit. Solymannum interea litteris Iſabella de Monachi ſecum reconciliatione edocuit.

§. 207.

Georgius indignationem Solymanni, ob Turcas ejectos metuens, & odii Reginæ apprime gnarus, turbis

turbis iſtis vix ſopitis ad priſtinum propoſitum rediit, ac Aó. 1551. in colloquio cum Ioanne Comite Salmenſi & Andrea Bathoreo, ad Dioſzegum oppidum inſtituto de Regina Tranſilvania exturbanda pactus eſt. Iſabella igitur his quoque moliminibus compertis, conventum Provincialium Enyedinum indixit, Regnicolasve querelis ſuis ita commovit, ut ex Senatusconſulto, Monachum Magiſtratu abdicarent, perduellionis damnarent, idque ei per litteras denunciarent. Hic vero, ubi omnia Ferdinando partim nunciaſſet, ab eoque promiſſionem de ſubſidio ſub Ioanne Baptiſta Caſtaldo, ſine mora ſubmittendo obtinuiſſet, maxima celeritate cum voluntariorum militum manu Enyedinum ante ſoluta comitia adcurrit, ac cum precibus Status & Ordines Regni ad abrogandum decretum contra ſe latum commovere non poſſet, blanditiis ac muneribus Siculos in ſuas partes traheret, effecit, ut reliqui vim metuentes, ſenſim ſe ſubducentes Reginam cum paucis Enyedini relinquerent, quæ etiam paulo poſt Albam Iuliam, & hac Franciſco Horvathio tradita, Sabeſum contendit.

§. 208.

Audita Caſtaldi cum copiis Germanicis adventantis fama, Iſabella, Melchiorem Balaſſam cum valida ei manu obviam miſit, ut eundem, quoad Turcarum auxilia ſupervenirent, retardaret. Interim Georgius Albam Iuliam oppugnavit, quam juſſu Reginæ Horvathius eidem mox dedidit, pacta tamen & præſidiariorum incolumitate & theſauri Regii integritate. Idem factum eſt cum arce Almás. Monachus his commotus, Sabeſum ad Reginam venit, mundumque illius muliebrem, Gazamque Regiam omnem intactam eidem

em tradidit, & supplex atque flens veniam est pre-
us, omnem culpam in alios conjiciens, & tandem
rdinandi exercitum jam adesse dictitans, Reginam
nonuit, ut æquis conditionibus cum eodem trans-
re ne recusaret. Hinc Enyedinum, quo Castal-
: deluso Balassa penetraverat, splendido cum co-
atu est profectus, & hunc primum Albam deinde
esium ad Reginam ad ineundam conventionem
luxit.

§. 209.

Diebus aliquot deliberando transactis, Isabella
ventu exercitus Ferdinandi perterrita, & Turcis
nuperrimam cladem offensis, parum fidens, demum
has pacis leges descendit, ut Transilvaniæ & Pan-
niæ partibus, Corona & Regni insignibus Ferdi-
ndo traditis cederet, & pro hac cessione ipsa 100000.
eorum, dotis nomine, filius vero illius Ducatum
poliensem & Ratiboriensem in Silesia & patrimo-
um Scepusiense in Hungaria promissamque in con-
gem, *Joannam* Ferdinandi filiam obtineret. Con-
mata hæc pacta sunt paulo post in Comitiis Clau-
opolitanis, ibique in præsentia Statuum & Ordinum
gni, peracto sacro in templo majori, in fidem
ctorum ex utraque parte Sacramentum dictum.
ibus peractis Regina coronam & Regni insignia
staldo tradidit, Petrovithioque arces, quibus præ-
erat, Temesvariensi, Lippensi &c. Ferdinando tra-
re jusso, Cassoviam cum filio est profecta, quo
m Melchior Balassa, Franciscus Patotsius, & Pe-
us Petrovithius sunt comitati, Georgius vero in Zi-
1, uberrimis profusis lachrimis, facti se pœnitere te-
tus Reginæ valedixit, & Claudiopolim in Transil-

vani-

vaniam remeavit. *Vid. Bethlen.* Lib. IV. pag. 157 - 70 *Istvanfi.* Lib. XVII.

§. 210.

Regina in itinere constituta, Mehemed Begler Beg, Bassa Budensis cum copiis eidem obviam processit, ipsam cum filio in Transilvaniam reducturus. Cum vero illam assequi non posset, ad castella & arces a Ferdinando occupatas expugnandas animum applicuit, multisque & in his etiam Lippensi sine ullo labore captis, ipsum Temesvarinum obsidione clausit. Georgius igitur Comitiis Cibinium indictis, Provincialibusque ad bellum excitatis, obtentis etiam a Ferdinando auxiliis, cum Castaldo obsessis auxilio est profectus. Cum vero in itinere nuntius allatus esset Mehemedem obsidione ob hyemem ingruentem soluta, Belgradum recessisse, ambo Lippam versus castra promoverunt, quo in itinere Georgio, legatus Pontificis Romani Iulii III. Diploma attulit, quo indicabatur, ipsum in Collegium Cardinalium esse cooptatum. Lippam demum Turcæ post acerrimam defensionem die XVIII. Novembr. dediderunt, ita tamen ut Vlamenes Bassa, a Monacho contra Castaldi voluntatem, cum præsidio liberum abitum obtineret.

§. 211.

Hæc expeditio Georgio tandem interitum maturavit. Cum enim in illa animum Germanis infestum, & in Turcas proniorem ubique manifestasset, Castaldus per celeres Tabellarios scripsisse Ferdinando fertur, Monacho salvo, nunquam Transilvaniam *quietam fore*, eique responsum: si putaret sublato Mo-

Monacho, res in tranquillo futuras, faceret, quod e re & commodo reipublicæ crederet fore, quare Caſtaldus, ubi cum Georgio eadem rheda vectus, ad Oppidum Alvintz reverſus eſſet, eundem in cubiculo ſuo noctu per immiſſos quatuor Hiſpanos, quorum *Palavicinus* & *Lopetz* ductores erant, die XVII. Decembr. anni hujus 1551. trucidari curavit. Cadaver illius horribiliter deformatum, cum duobus fere menſibus neglectum jacuiſſet, demum vili arca incluſum Albam Iuliam delatum, & in æde majori ſepultum eſt. Theſaurus vero illius Alvintzi & Szamosujvarini (quod ipse ædificaverat) repertus, & ſupellex regiæ magnificentiæ, in manus devenit interfectorum. Prout hæc omnia ex *Bruto*, & aliis Scriptoribus prolixe enarravit *Volffgang*. de *Bethlen*. Lib. IV. pag. 170-75. *Vid*, & *Iſtvanfi*. Lib. XVII. *Becbetius* in Vita Georgii Martinuſii, & *Forgáts* in Commentariis ſui temporis *Mſcriptis*.

§. 212.

Morte Georgii comperta, Siculi eandem ulturi Aõ. 1552. Vásárhelyinum confluxere & tumultum movere. Caſtaldus igitur Cibinium ſe contulit, hinc vero valida cum manu Schæſzburgum proceſſit, ibique Franciſcum Kendi multis pollicitationibus eo adduxit, ut Vásárhelyinum profectus, Siculos variis modis deliniret, interea a Ferdinando *Andreas Bathori* de *Etsed* *V*ajvoda Tranſilvaniæ eſt declaratus & Caſtaldo adjunctus. Hic igitur Tranſilvaniam germanico milite (cujus ſupplementa ex 4500. conſtantia, a Comite Helffenſteinio adducti erant) per civitates diſtributo, contra Valachorum & Moldavorum irruptionem defendit. Ille vero in comitiis Thordenſibus

bus stipendia militibus & annona procurare, licet pauco cum successu, laboravit. Nihilominus mense Iulio, Moldaviæ Princeps, *Elias* cum Valachis & Turcis irrumpens, Siculiam & Barciam vastavit, quem tamen cum præda redeuntem Germani Transilvanis juncti, in fugam egerunt, & prædæ maximam partem recuperarunt. Circa finem anni successor Eliæ, *Alexander* novam tentavit irruptionem, & Barcia devastata, Oppidum Prasmar est agressus, mox vero ingenti clade repulsus. Quiete hic vix restituta, in ipsa regione turbæ sunt exortæ, militibus Castaldi ad Claudiopolim ob non soluta stipendia tumultuantibus, ipsique Duci vim inferre volentibus. Composuit furorem illorum Castaldus stipendio aliquot mensium exsoluto, postea vero seditionis auctores 50. capite plecti curavit.

§. 213.

In Hungaria interim infeliciter contra Turcas est pugnatum. Hi enim non solum Szegedinum a Ferdinandi Ducibus, Michaële Thót, Comite d' Aldana occupatum, Duce Hali, Budæ præfecto, recuperarunt, verum etiam Achmete Bassa Adrianopoli adventante, Temesvarum post acerrimam Losontzii defensionem, deditione traditum, occuparunt, & Losontzio contra jus fasque interemto, Karansebesum, Lugosum, Lippam, aliasque arces obtinuerunt. Cum vero prospero hoc successu elati, Agriam quoque acri oppugnatione tentarent, præsidiariorum sub Stephano Dobone insigni virtute magnam stragem passi ab illa sunt rejecti. Quare Ferdinandus Antonium Verantium, Episcopum Quinque Ecclesiensem, & Franciscum Czàgyi ad Solymannum cum muneribus ablega-

gavit hac occaſione, excandeſcentiam illius ob Tran-
vaniam *Ioanni Sigismundo* ademtam placaturos, qui
ro præter inducias breviſſimas nihil obtinuerunt.
id. Iſtvanſi. Lib. XVII. *Bethlen*. Lib. IV pag. 182-85.

§. 214.

Iſabella interea Caſſoviæ per aliquod tempus com-
orata, poſtquam Ferdinandum primo per Matthæum
ugovitz Polonum, deinde per Georgium Blandra-
m medicum, de pactis ſervandis interpellaſſet, ve-
um præter novas promiſſiones, ob temporum injuri-
nihil obtinere potuiſſet, ad fratrem ſuum Sigis-
undum Auguſtum, Poloniæ Regem ſe contulit, &
arſoviæ Aõ. 1552. permanſit. Circa finem hujus
nni, Ferdinandus demum illi Ducatum Oppolienſem
Diſtrictum Franckenſteinienſem tradi juſſit, quo ſe
itio Februarii, Aõ. 1553. una cum filio ſuo, ob-
ntis a matre Vielano, & a fratre Præfecturis dua-
s Pannocenſi & Crepicienſi recepit. Nec tamen
i ob miſeram ædificiorum conditionem diu eſt com-
orata; verum poſt aliquot menſes ad matrem in
oloniam remeavit, a cujus liberalitate reditus obti-
it poſſeſſionis Samborienſis, donec res illius in me-
orem ſtatum redigerentur. *Vid. Bethlen*. l. c. pag. 187.

§. 215.

In Hungaria hoc anno Vlamenes & Hamtza, So-
manni cum Perſis bellantis Duces male ſunt graſſati,
cuti id Hungaricarum rerum Scriptores præcipue *Re-
a* & *Iſtvanſi* prolixius deſcripſerunt. In Tranſilva-
ia vero Andreas Bathori Vajvodatu abdicavit, in cu-
s locum *Stephanus Bodo* & *Franciſcus Kendi* a Fer-
dinando

dinando ſunt denominati, ſub quorum in Regionem ingreſſu Moldavi diſtrictum Csik ſuperiorem irruptione facta, devaſtarunt. Eodem Petrovithius ex conſilio Reginæ ad animos Tranſilvanorum Ioanni Sigismundo conciliandos iter ſuſcepit, ſed inſidias Franciſci Tahi & Matthiæ Czaberdini, Epiſcopi Varadienſis metuens, in Poloniam eſt reverſus, Tahius vero & Czaberdinus omnes, qui Reginæ ſtudioſi deferebantur, ſunt perſecuti, imo quosdam eorum proprio arbitrio capite plecti curarunt, quorundam bona fiſco adjudicarunt, eo ipſo vero animos multorum a Ferdinando Rege ſenſim abalienarunt. Quod reſciens Petrovithius, Lugoſinum per Valachiam eſt profectus, & hinc per Purpuratos ſibi notos, Solymannum ſolicitare non deſtitit, ut Reginam in Tranſilvaniam reſtituere velit.

§. 216.

Petrovithii & Sigismundi Poloniæ Regis interceſſione apud Solymannum, id demum eſt effectum, ut Legati Ferdinandi, Aó. 1554. confirmationem pactorum de Tranſilvania cum Iſabella ejusque filio initorum, & inducias octennales petentes, non tantum non audirentur; verum etiam hoſpitio ſuo Byzantii includerentur, & Solymannus pace cum Perſis facta, ingentem contra Regem Ferdinandum faceret apparatum ac Aó. 1555. exercitu verſus Pannoniam movere juſſo, Tranſilvanos lue contagioſa hoc tempore affiictos admoneret, ut Iſabellam cum filio quamprimum reſtituant, niſi ferro flammaque regionem ſuam vellent devaſtatam. Quare iſti auxilia germanica fruſtra ſe expectare certiores facti, in comitiis Agropolitanis, non audito Caſtaldo, Melchiorem Balaſſam

ſupre-

supremum exercitus Ducem constituerunt & Petrovithio per legatos in patriam evocato, Ferdinandum per Ladislaum Kemènyium, Ioannem Somborium & Thomam Bornelium, obsecrarunt, ut Transilvania Isabellæ restituta, perniciei eos imminenti eripere ne dedignaretur. *Vid. Bethlen.* Lib. IV. pag. 191. *Istvánf.* Lib. XIX. *Miles* pag. 56. & *Francisci Forgátsii* Commentarii sui temporis *Mscr.*

§. 217.

Interea milites germani sub Castaldo in Transilvania merentes, ob non soluta illis stipendia, sublatis signis Transilvania emigrarunt, quos Castaldus paulo post secutus, sicuti & Franciscus Kendius, a collega Dobone deficiens, in partes Isabellæ transivit. Quare Melchior Balassa Aõ. 1556. Thordam Comitia indixit, in quibus a Natione Hungarica & Siculica *Ioannes Sigismundus* in Transilvaniæ Principem est electus, cui concluso Petrovithio ex Polonia adventante Saxones etiam accesserunt, postquam necessitatem id faciendi, Paulo Bornemissæ, Episcopo Albensi, Ferdinandi partibus firmiter adhærenti, scripto publico declarassent. Petrovithius posthæc in comitiis mense Martio, Sabesi celebratis, Locumtenens Regni est constitutus, qui Stephano Dobone Vajvoda, & Paulo Bornemissa necquidquam, ut ad Isabellæ partes transirent, sollicitatis, Albam Iuliam per Balassam, obtentis ab utriusque Valachiæ Vajvodis auxiliis, deditione cœpit, eodemque Balassa ad Szamosujvárinum oppugnandum expedito, in Comitiis Claudiopolitanis mense Iunio celebratis, legatos decerni curat ad Isabellam cum filio ex Polonia reducendam.

§. 218.

Obsidionis Albæ Iuliæ urgendæ caussa, thius a Cibiniensium Magistratu tormenta p gium Matskási expetierat; cum igitur super l multus civium oriretur, quippe qui contra p Petrovithio conventa fieri clamitarent: Iude Ioannes Rufus, ad seditionem componendan nas quidem bellicas nullas, sed pedites nih auxiliares ad Albam Iuliam misit. Subito d versis in locis Cibinii ortum est incendium, domus, & tria monasteria conflagrarunt; q vus inter cives exortus est tumultus, in quo i minatus Iudex Regius ante ædes suas die I securi ictus vitam amisit. Mors vero illius, tu dato, per supplicium a tribus seditionis a sumtum, ulta fuit. Prolixe factum hoc des incendii quoque auctores annotavit *Matthia* Lib. cit. *pag.* 60. 61. *Confr. Bethlen.* Lib. IV.

§. 219.

Dobo interea Szamosujvárini degens a l do auxilia efflagitaverat, quæ etiam sub P Duce missa, verum a Turcis Budensibus & fibus in itinere dissipata erant. Petrovithius ens, Transilvanicas copias exercitui *Petri*, Vajvodæ, adjunxit, easque Ducibus, Thom & Georgio Bathori, ad obsidendum Varadinu *Alexandro*, Moldaviæ Vajvoda per Rodn Bistricium pariter in Hungariam contendent igitur hoc modo iter Reginæ per Hungariar redditum esset: ista cum filio suo a Legatis vanicis, Francisco Kendio, Augustino Hedvi

ne Tartler, Petro Rhener & Stephano Schæſer, quibus Pethrovithius Solymanni Legatum de novo Tranſilvanos ad reducendam Iſabellam urgentem addiderat, ſolemniter invitata, demum d. XXIII. Septemb. hujus anni 1556. Leopoli eſt egreſſa & ſplendide ubique excepta, egregio Hungarorum & Valachorum comitatu die XXII. Octobr. Claudiopolim ingreſſa, ubi in Comitiis mox habitis, adminiſtrationem regiminis ex conſenſu procerum ſolenniter ſuſcepit, nec multo poſt de Varadino, Szamosujvárino & reliquis arcibus, quæ Caſſovia urbe excepta, in ditionem ſuam redierant, nuntium obtinuit. *Vid. Bethlen.* Lib. IV. pag. 203. 204. *Miles* libr. cit. pag. 62 - 63.

§. 220.

Variæ Aō. 1557. inter Duces Ferdinandi (qui anno ſuperiore, Carolo V. fratre imperium abdicante, Romanorum Imperator factus fuerat) & Iſabellæ in Hungaria ad Szölös, Szathmár & alibi acciderunt velitationes, quas ex *Bruti* Mſcrpto, *Bethlen.* pag. 205 - 206. annotavit. In Tranſilvania vero Petrovithius die XIII. Octobr. mortuus eſt, Regina omnium bonorum ſuorum hærede conſtituta. Decertationes illæ Hungaricæ conciliatæ ſunt Aō. quoque 1558. in Tranſilvania vero Henrici Galliarum Regis legatus, Petrus Franciſcus de Martinez appulit, amicitiam & auxilia Reginæ oblaturus. Cum vero Iſabella, Chriſtophorum Bathori viciſſim ad Henricum ablegaſſet, & redux cum illo prior legatus non ſolum auxilia denuo promiſiſſet; verum etiam ſororem Regis Galliæ Ioanni Sigismundo in matrimonium obtuliſſet, & proceres hujus rei cauſſa Principem juvenem gynecæo extractum arduis negotiis aſveſieri voluiſſent; Iſabella

verens, ne sibi imperii habenæ eriperentur, tractatus cum Henrico coeptos abrupit, imo hoc metu & nimia regni cupiditate eo se adduci passa est, ut Franciscum Bebeckum, jam olim ob affectatam Gubernatoris Transilvanici dignitatem sibi suspectum, una cum Antonio & Francisco Kendiis, die I. Septembr. Albæ Iuliæ in hospitiis ipsorum trucidari, ac in conventu mox celebrato necem hanc excusatura perduellionis eos reos per Ioannem Szalántzi agere curaret. *Vid. Forgátsii* Commentarii, ad annum 1558. *Bethlen.* lib. cit. pag. 209-210. *Miles* pag. 72. 73.

§. 221.

Valetudo adversa & variæ, quæ a militibus Ferdinandi ditionibus Isabellæ in Hungaria adferebantur devastationes, eo tandem istam adduxerunt, ut pactis annuis induciis de fœdere cum Ferdinando, ope Sigismundi fratris ineundo, Aó. 1559. serio cogitaret. Vi hujus pacti filio Ioanni Sigismundo, cui Ferdinandi filiam in conjugem expetebat, Regnum Transilvaniæ committere, ipsa vero Husztinum & Munkatsinum ad fines Poloniæ, secedere constituerat. Expeditus ab illa ad percutiendum hocce fœdus, Solymanni jam consensu obtento, fuerat Nizovius, Polonus quo familiarissime utebatur, verum V. die post expeditionem illius, quæ erat d. XV. Septembr. Regina anno nata 53. vitam cum morte prius quam tabulas fœderis cum Ferdinando commutavit, ut scribit *Bethlen* l. cit. pag. 211. Idem encomium illius ex Bruto, e annalibus Transilvanicis apposuit, defectus vero & nævos *Forgátsius* in Commentariis suis ad hunc annum acri stilo notavit. Sepulta est d. VIII. Octobr. Albæ Iuliæ in æde St. Michaëlis. Epitaphium illius tradit cum aliis, *Sigler*, l. c. pag. 82.

No

Non potuit generi virtus præſtantior addi,
Nec donis, quibus hæc diva Iſabella nitet,
Edidit infantem *Iani* de ſangvine Regis
Quo duce Pannonii Secula tuta gerant.

§. 222.

Legationem Iſabellæ morte interruptam, *Ioannes Sigismundus* regno potitus, Aõ. 1560. reſtauravit quidem ſed irrito conatu, quippe qui ad poſtulationem Ferdinandi, titulum regis deponere nollet; eodem hoc anno, Sephanus Dobo, Szamosujvaro elapſus ad Cæſarem ſe contulit: Gabriel contra ea Maylath, Ioanni reconciliatus in Tranſilvaniam eſt reverſus & bona parentis omnia cum arce & Terra Fagarás obtinuit reſtituta, Dobonem anno ſequenti, 1561. non ſolum Nicolaus Bathori, ſed ipſe etiam copiarum Regiarum præfectus Melchior Balaſſa eſt ſecutus, qui Szathmar, Rivulinum, aliaque Oppida, quæ paulo ante occupaverat ad Ferdinandum transtulit & ab hocce in iisdem jus obtinuit confirmatum. Quapropter Ioannes non ſolum graviter ad Ferdinandum æque ac Solymannum de hac re eſt conqueſtus; verum etiam caſtella Balaſſæ in Tranſilvania, Diod & Letham deditione tradita occupavit. *Vid. Bethlen* Lib. IV. pag. 216. *Miles*, pag. 76 ſeq.

§. 223.

Injurias Balaſſæ ulturus Ioh. Sigismundus Aõ. 1561. Stephanum Bathori de Somlyo, & Franciſcum Némethi cum copiis in ditiones Ferdinandi irruptionem facturos miſit. Et hi quidem initio arcem Hadad cœperunt, mox vero eandem magna a Franciſco Zayo & Melchiore Balaſſa clade affecti rurſus amiſerunt,

 ſuccur-

succurentes illis Bassa Budensis & Præfectus Temesvariensis, Nemetho exusto & Szathmarino frustra obsesso Regione vero misere vastata, ad sua redierunt. In Transilvania vero Siculi a Balassa per litteras instigati, hoc eodem anno contra Sigismundum conjurarunt. Detecta hæc est conjuratio; sed auctorum alteri Volkajo, gratia Regis a Stephano Bathoreo est exorata, alter Forro, cum Thordæ ad supplicium raperetur, facto repentino populi tumultu est liberatus. Brevi post in Udvarhely multa millia Siculorum confluxere, & Duce Georgio Nagy de Gálfalva, seditionem moverunt. Missus contra eosdem Gabriel Majlath, prœlio ancipiti commisso Vasarhelyinum se recepit, a Ladislao vero Radák firmatus, turbam Siculorum perterritam, multis captis in fugam egit, quo facto Georgio Nagy, & aliis seditionis auctoribus Schæsburgi capite plexis, aliis vero auribus & nasibus mutilatis, tumultus feliciter est sedatus. Memoriam hujus insurrectionis fortalitia duo, unum in oppido Udvarhely nomine *Székelyi támad*, alterum in vicinia illius nomine *Székelybánya*, jussu Regis erecta conservant. *Vid. Bethlen* Lib. V. pag. 218.-219. *Istvánfi* Lib. XXI. *Miles* ad annum 1562.

§. 224.

Eodem hoc anno 1562. Augerius Busbequius, Ferdinandi Imperatoris apud Solymannum Legatus, pacto demum tributo inducias obtinuerat octennales, quibus inclusus fuit etiam Ioannes. Hic igitur pacis firmandæ gratia Aõ. 1563. Stephanum Bathori Viennam ablegavit cui tamen mox infecta re domum fuit redeundum, cum Ferdinandus firmiter illi inhæreret postulato, ut Ioannes redditis Hungariæ ditionibus, Re-

gio

Regio titulo abstineret, & possessione ac nomine Ducis Transilvaniæ contentus maneret. Eodem tempore Ioh. Basilius, Despota Cretensis, qui anno superiore, 1561. Moldaviæ Vajvodatum extruso Alexandro occupaverat, arces Küküllövár & Csicso a Matthia quondam Rege, Moldaviæ Vajvodis datas, restitutas voluit, Ioh. Sigismundo reluctanti dira omnia minatus. Cum igitur Moldavi non multo post Tomsam in locum ejus substituerent & Despotam in arce Sotsova obsiderent: Ioannes Rex duo huic millia armatorum subsidio misit, Duce Ladislao Radák, qui Despotam captum Tomsæ tradidit, a quo is interfectus; Alexander vero Principatu antea pulsus, allaborante apud Solimannum Ioanne Rege in Vajvodatum restitutus fuit. *Vid. Bethlen* Lib. IV. pag. 216. *Miles*, pag. 78 - 81. & *Ioann. Sommeri* Clades Moldavica.

§. 229.

Balassa non attentis induciis confinia Transilvaniæ hostiliter attrectare non cessante, Stephanus Bathoreus Aõ. 1564. jure talionis utens Szathmar & Rivulinum uno eodemque impetu cœpit. Hoc successu Ioh. Sigismundus, novum contra *Maximilianum* (qui hoc anno Ferdinando patri, d. 25. Iulii demortuo, successerat) bellum movere cœpit, idque tam feliciter continuavit, ut uno hocce autumno omnes arces & castella ad Cassoviam usque in suam redigeret potestatem. Maximilianus igitur summa imperii militaris Lazaro Schvendio & Andreæ Bathoreo tradita, A. 1565. vim vi repellere laboravit. Hi primo Tokajinum occuparunt, deditione traditum, dein castra Szerents & Szathmár & alia a Transilvanis derelicta. Quare Ioh. Sigismundus, Stephanum Bathoreum &

Stanislaum Nizovium Szathmarinum ablegavit, ut eum Svendio colloquerentur. Cumque pacta hæc Maximilianus quoque rata haberet; transactio pacis toties tentata ad finem tandem optatum perducta fuiſſet, niſi Casparus Bekeſſius Byzantio redux (quo de Svendii progreſſibus queſtum miſſus erat) pollicitationibus Solymanni animum Ioannis eo flexiſſet, ut ab initis antea conditionibus recedere non dubitaret; Maximilianumque eo ipſo commoveret, ut non ſolum Bathoreum; verum etiam Alexandrum Kendi, qui eum Viennam ſecutus fuerat, cuſtodiæ tradi juberet. *Vid. Iſtvanfi*, Lib. XXI. *Bethlen*, Lib. V. p. 232-35.

§. 226.

Ioannes igitur Sigismundus, Turcarum auxiliis corrogatis, Erdödum expugnavit & ad Svendium ipſum aggrediendum cum exercitu movit; verum nuntiis a Solymanno & Maximiliano intervenientibus, utrinque in hyberna eſt ſeceſſum. Interea Maximilianus nomen Ioh. Sigismundi, tanquam fœdifragi apud Solymannum detulerat, accuſſationemque ſuam transmiſſis authenticis Documentis confirmaverat. Quod ubi Ioanni per Csauſſium quendam notum factum fuiſſet; miſſis ad Solymannum legatis, huic nuntiari curavit, ſe propria in perſona ad Imperatorem venturum, reique veritatem exponendo ſeſe a calumniis purgaturum. Stetit hiſce promiſſis Ioannes anno ſequenti, 1566. Cum enim Solymannus ob tributum non ſolutum Tokainumque Ioanni non reſtitutum Maximiliano bellum denunciaſſet, & in Pannoniam cum exercitu moviſſet; Ioannes Sigismundus ſplendido comitatu eundem circa finem menſis Iulii, ad Belgradum caſtra metantem convenit & ſalutavit, oblatisque

que muneribus pretioſiſſimis & porrecto libello ſupplici non ſolum munera viciſſim ſplendida; verum etiam favoris ſummi confirmationem a Solymanno impetravit, ſicut id prolixe deſcripſerunt: *Iſtvanfi* Lib. XXII. *Bethlen* Lib. V. pag. 246-50. *Miles* Lib. cit. pag. 107-9.

§ 227.

Solymannus expeditionem ſuam ab Agria obſidenda incipere ſtatuerat. Cum vero Mehmethem a Nicolao Zrinio, Szigetho errumpente profligatum audiviſſet; relicta Agria, Szigethum oppugnavit; Pertaſſo Duce illius Gyulam interea & alias arces expugnante, Ioanne vero Sigismundo a Turcarum copiis firmato, Sakam arcem & Caſtellum Bágyon occupante ac Tokainum obſidente. Continuata Szigethi oppugnatione in menſem usque Septembr. Solymannus in caſtris mortuus eſt. Reſciens illud Ioannes, obſidione Tokaini ſoluta, in ſuas ditiones remeavit, cumque Tartari, qui ad auxiliares copias ſuas pertinuerant, deprædationem Hungariæ ad partes quoque Tranſilvanicas extenderent, eos perſecutus, in agro Debrecinenſi ingenti clade affecit & diſſipatos ad ſua redire coëgit. Interea Szigethum a Principe Purpuratorum expugnatum eſt, poſtquam Nicolaus Zrinius cum ſuisglorioſam in eruptione facta oppetiiſſet mortem, quo facto *Selimus* imperio potitus, exercitum Byzantium, Maximilianus vero copias ſuas Viennam reduxit.

§. 228.

Continuatum eſt Aô. 1567. bellum in Hungaria, ſuperiori anno cœptum, & Svendius quidem ſub initium ſtatim anni arces quasdam in iisque Munkatsium occupavit, ac Huſztinum obſedit; Ioannem ve-

ro Sigismundum cum copiis validioribus advent audiens, ſuas Caſſoviam reduxit. Quare Ioan Kövarinum obſedit, eoque potitus Rivulinum expugr vit, unde morbo inteſtinorum correptus caſtra redux Maximilianus vero Antonio Verantio, Epiſcopo grienſi, & Chriſtophoro Tieffenbachio, Byzantiu miſſis, promiſſo 30000. aureorum annuatim exſc vendorum tributo pacem octennalem, qua Tranſilv nia etiam incluſa fuit, obtinuit, quam legati anr 1568. pridie Calend. Iul. Viennam retulerunt. Qu facto Maximilianus Ioannis Sigismundi legatos Steph num Bathori & Alexandrum Kendi a biennio in c ſtodia detentos eidem remiſit, quibus in Tranſilvar am redeuntibus, Franciſcus quoque Forgáts, Epiſc pus Varadienſis, & affinis ejusdem Ladislaus Gyula clariſſimi Hungariæ proceres ad Ioannem Sigismu dum deſciverunt. *Vid. Iſtvánfi*, Lib. XXIII. *Bethlen* Lib. V. pag. 260 ſeq.

§. 229.

Tranſilvania ab hoſtibus externis tuta, interni mox turbis agitari cæpta eſt; Georgius enim Kará tson, in regione Szilagyienſi natus, & deformitat corporis *homo niger* dictus, Turcarum ſe debellato rem divino juſſu excitum profeſſus, Aó. 1569. e concurrentibus ruſticis exercitum formavit & Ladislaun Pellionem, Rivulino oriundum, belli hujus fanatic collegam aſſumſit. Et hoc quidem anno acceſſu Nobilium præſtolatus nihil tentavit, anno vero ſe quenti 1570. expeditionis ſuæ initium oppugnation caſtelli S. Nicolai fecit. Cum vero hinc a Turci rejectus eſſet, ac a Debrecinenſibus commeatum violen ter extorquere & prætorem urbis reluctantem, a

ſup

supplicium duci vellet: a civibus prætorem periculo eripientibus, vulneratus & captus, prætore mandante capitis statim supplicio affectus est. Idem Ladislao Pellioni, collegæ Karatsonii accidit, quem equites Nicolai Bathorei persecuti interemerunt. Quo facto reliqua colluvies dilapsa, finem imposuit stolidissimæ expeditioni, quam prolixe ex *Bruti* Historia Hung. *mscripta*, exhibuit descriptam *Bethlen*, Lib. V. *pag.* 271. *Miles* & *Istvanfi* Lib. XXIV.

§. 230.

Interea in Transilvania Ioannes Sigismundus de matrimonio ineundo cogitavit, aliis affinitatem cum Rege Galliarum, aliis paucis antesignano Casparo Bekess, cum Maximiliano Imp. contrahendum svadentibus. Vicit tamen sententia Bekessii, qui etiam ad Maximilianum se contulit, ac cum eodem promissa Ioanni una ex neptibus ejusdem in conjugem, foedus iis conditionibus percussit, ut Ioannes Sigismundus titulo principis contentus, Transilvaniam intra Alpes, jure hæreditario teneret, extra Alpes vero Comitatum Bihariensem cum Varadino, Maramorosiensem cum Huszto & Salisfodinis sub titulo Domini partium Regni Hung. possideret, Kraszna vero & Szolnok Mediocris tantum quoad viveret, ad ditionem ejus pertineret, reliqua omnia intacta Cæsari relinquerentur, quivis vero successorum Ioannis Sigismundi publicis suffragiis electus Cæsari fide clientelæ obstrictus esset. Interea Selimus de hac re certior factus Ioannem Sigismundum per Csaussium commonefecit, ne quid novarum rerum tentet. Hoc vix dimisso & Selimo excusatione ficta lenito, Bekessius mense Septembri reversus est, ac posteaquam proceres in foederis con-

ditiones Sacramentum præſtari curaſſet, ad confirmationem pactorum perficiendam ad Maximilianum remeavit, a quo etiam die 10 Martii, Aō. 1571 Diploma obtinuit, in quo Ioanni Sigismundo ejusque poſteris, ſi fors a Turcis Tranſilvania pellerentur Ducatus Ratiboriæ & Oppoliæ in Sileſia ſolenniter fuit promiſſum, cujus ipſiſſima verba exhibet *Bethlen*, L. V. pag. 279. *Vid.* & *Forgátsii* Commentar. cit. ad hunc Annum.

§. 231.

Interea Ioann. Sigismuudus morbis colicis & epilepticis graviter eſt conflictatus, ac dum Bekeſſius in eo eſſet, ut ſponſam illi, Maximiliani neptem quandam, ſive illa Bavari, ſive Iuliacenſis Principis filia foret, domum duceret, Ipſe teſtamentum condidit, & d. 14. Martii, anno ætatis ſuæ 31. fato functus eſt Albæ Iuliæ, ubi etiam poſtea in templo S. Michaëlis ſplendide fuit humatus. Elogium ipſius ex Bruto adſcripſit *Bethlen*, l. cit. pag. 287. mendas vero acriter pro more ſuo annotavit *Forgáts* ad Annum 1571. ubi etiam indicavit, quomodo Ioannes per Georgium Blandratam, Medicum Italum ad Arianismum, ſive potius Socinianismum amplectendum ſeductus fuerit; cujus in Tranſilvania origo & incrementa ab hujus Principis temporibus ſunt deducenda. *Vid. Miles* L. cit. pag. 110. ſequ.

§. 232.

Inſignia Ioh. Sigismundi paterna, lupum ſemiſſem e ternis collibus emergentem exhibent, videnda in Thaleris ab eodem cuſis cum inſcriptione: IOH. II. EL. REX HUNG. altera eorundem parte glabra relicta, quo Hungariam ſibi ereptam indicare voluit;

ma-

materna vero ſerpentem tortuoſa ſpecie formatum infantem paſſis manibus prehenſum faucibus mordicus tenentem & devoraturo ſimilem repræſentant, qualia videntur in numo aureo Iſabellæ, Aó. 1557. cuſo, magnitudinem Thaleri habente, in cujus parte una inſcriptio hæc habetur:

YSABELLA. D. G. Regina HVNG. DALMAT.
CROAT. &c.

in altera vero: 1. 5. 5. 7.
SI DEUS
NOBISCUM
QUIS CONTRA
NOS. S. L. V.

Litteræ vero S. L. V. ſunt depravatæ, loco S. F. V. quæ Symbolum indicant Iſabellæ: *Sic fata volunt.* *Vid. Töppeltin.* in Appendice. Schweigers Beſchreibung ſeiner Reiſe bis Conſtatinopl. *Thuanus. Bethlen*, l. cit. pag. 287. *Lochners* Samlung merkwürdiger Medaillen. pag. 237.

§. 233.

Domus Zapolyana inter antiquiſſimas Hungarorum familias referri meretur. Ortum traxit ex Boſniæ Regno, a cujus oppido Zapolya eſt denominata, aliquando vero eadem hæc familia a Diáko, qui locus pariter in ea regione ſitus fuit, cognominata reperitur. Genealogiam illius ſequens Tabula exhibebit:

IOAN-

IOANNES de ZAPOLYA.

Filius ignoti nominis. - *Hedvig*, conjux Ludov. II. Ducis Brigensis, † 1414.

Emer. Palat. Hung. ad A. usq. 1486.

Steph. Bosniæ Banus & Palat. † 1499.
Conjux *Hedvig*, filia Premislai III. Ducis Teschin. nupta, 1483. † 1515.

Filia ignoti nominis, uxor *Laurentii* ex Syrmio.

Ioannes, Vajvod. Transilv. n. 1487. d. 21. Iul. † 1540. d. 18. Iul.
Conjux *Isabella*, nupta 1539. † 1559. d. 15. Sept.

Ioh. Sigismund. II. nat. 1540. d. 7. Iul. † 1571. d. 14. Martii.

Georgius † 1526. d. 24. Aug. ad Mohats.

Barbara conjux *Sigism.* I. Reg. Pol. nupt. 1512 d. 28. Oct. † 1515. d. 2. Oct.

Cap.

Caput II.

Sub Bathoreis ab Aô. 1571 - 1605.

§. 234.

Defuncto Ioanne II. ordines Transilvaniæ Albæ liæ, mense Majo congregati, *Stephanum Bathori Somlyo*, virum & nobilitate & rebus gestis clarum, Principem Transilvaniæ elegerunt, Bekessio Viennæ luce necquidquam eundem honoris gradum affe- nte. Hic igitur missis statim ad Maximilianum æ- e Germanorum, ac Selimum Turcarum Imperato- n, legatis, confirmationem Vajvodatus sui ab utro- e obtinuit. Illi quidem pro more veterum Tran- vaniæ Vajvodarum solemni juramento obstrixit; huic o tributum annuum, 50000. Thalerorum spopon- , ab eoque mox vexillum, sceptrum, acinacem mitram accepit principalem. Formulam juramen- supra dicti & litteras hac occasione hinc illinc mis- atque acceptas annotavit. *Bethlen* Lib. VI. pag. 290. *d Istvánfi*, Lib. XXIV. it. *Thuanus* in Historia sui nporis, ad hunc Annum. *Miles*, pag. 131.

§. 235.

Bekessius interea Fogarasini se continuit, Ste- anoque Principi invidiam conflare modis omnibus conatus, ita ut seditio inter Siculos oriretur; quo- m ad 800 confluxerunt, libertates suas, quas sub Io- ne II. amissas querebantur, se asserturos clamitantes. ephanus itaque primoribus Siculiæ gentis compescen- illos negotium dedit; quorum unus Paulus Beck lit- ris ac oralibus persvasionibus efficere nihil valens,

tumultuantes ex improviſo eſt aggreſſus, paucisque eorundem occiſis, reliquis vero diſſipatis, integram feliciter compoſuit ſeditionem. Bekeſſius autem Aō. 1572 ad comitia vocatus generalia, non tantum comparere detrectavit, verum & ſubditis ſuis in Diſtrictu Fogaraſienſi imperatam tributi Turcici penſionem interpellavit & Maximiliani Imp. contra Stephanum opem imploravit. Quibus rebus effecit, ut anno ſequenti 1573. Vajvodæ juſſu a Georgio Bánffi de Loſontz, Fogaráſini obſideretur, unde tamen convaſatis rebus pretioſiſſimis menſe Octobr. elapſus ad Maximilianum ſe recepit. *Vid. Bethlen* l. cit. pag. 302. *Miles*, pag. 139.

§. 236.

Comitiis anno ſequenti, 1574. Mediæ celebratis, cauſſa Bekeſſii prolata, isque tanquam hoſtis patriæ damnatus & omne cum illo conſortium Tranſilvanis ſub pœna capitis interdictum eſt. Hoc tamen non obſtante inventi ſunt, qui eum de omnibus rebus facerent certiorem, immo in Provinciam invitarent. Quare Bekeſſius, cum a Maximiliano auxilia adverſus Bathoreum petita obtinere non poſſet, per Emericum Antalfi, Byzantium miſſum Vayvodatus collationem a Selimo ſibi expetiit. Ipſe interea non contemnendam manum ex diverſarum Nationum hominibus conflavit, ac ſequenti Anno 1575. cum multis Hungarorum, qui partibus illius acceſſerant, proceribus in Tranſilvaniam irrupit, ac procul dubio primo impetu Stephanum opprimere potuiſſet, niſi ad Thordam multum cunctando & deliberando, occaſionem e manibus elabi paſſus fuiſſet, Princeps vero interea Turcarum auxilia adeptus Bekeſſium ad Radnothum aggreſſus

s in fugam egit, qui Caſſoviam & inde Vngvari-
ım ſe contulit, ac conjuge ducta in interiorem Po-
niam ſe recepit. *Vid. Bethlen.* Lib. VI. *pag.* 318-19.

§. 237.

Cum Bekeſſio plurimi, qui partibus ejus adhæſe-
nt, evaſerunt, aliqui tamen eorundem capti & in
mitiis Thordenſibus, d. VIII. Auguſt. celebratis, ad
ibunal deducti ſunt, ubi cauſſa Bekeſſii prolixe ven-
ata, ipſe cum complicibus omnibus ad ſupplicium
pitis, & amiſſionem bonorum omnium damnificatus
. Sumtum eſt hocce ſupplicium Claudiopoli a no-
m præcipuis Bekeſſii aſſeclis, ex reliquis 34. ad Sa-
osfalvam ſuspendio ſunt affecti, plures autem naribus
auribus obtruncati, aliqui tamen poſt diutinam capti-
atem liberi dimiſſi, imo ex profugis etiam quidam,
nia delicti obtenta, bona etiam ſua amiſſa recupe-
runt, ſicuti prolixe enarravit *Bethlen.* Lib. VI. pag.
8-39. qui etiam annotavit, hoc anno ab *Amurathe III.*
limi Succeſſore, ob auxilia Bathoreo præſtita, tribu-
m Tranſilvaniæ 5000. aureorum Principe necquid-
ıam refragante adauctum fuiſſe. *Vid. Miles* pag. 139.

§. 238.

Dum hæc in Tranſilvania agerentur, in Polonia
terim Henricus Rex, quoniam nuntio de morte fra-
is ſui Caroli IX. Galliarum Regis obtento, clam
mnibus Regnum deſeruerat, nec ad juſtum tempus
ublice revocatus redierat, a proceribus exauguratus,
novi Regis electio apparata fuerat. Svaſu igitur Sa-
nuelis Zborovski Poloni, Stephanus quoque Batho-
eus inter competentes Regni, miſſo primum Emeri-

co Sulyok, dein vero Medico, Georgio Blandrata & tandem Martino Berzevitze, nomen ſuum eſt pro feſſus, ac poſtquam Annam, Sigismundi I. Regis fili am, in matrimonium ducere promiſiſſet, a plurimi procerum die 14. Decembr. hujus anni 1575. Regn Poloniæ promiſſionem Diplomate publico contentan obtinuit; imo electione illa in publicis Comitiis con firmata, Maximiliano Imperatore fruſtra reluctante Aó. 1576, poſtquam die 20. Ianuarii in diæta public Medienſi, Tranſilvanis valedixiſſet, & ex ſvaſu ejus dem Chriſtophorus Bathori, in Vajvodam Tranſilva niæ electus eſſet, retento titulo Principis Tranſilvaniæ comitantibus compluriinis procerum Tranſilvanorun in Poloniam eſt profectus, ibidemque ducta Anna Ia gellonica, una cum hac ſollemni more die 1. Maji in Re gem eſt coronatus. *Vid. Bethlen.* l. c. *pag.* 353. ſequ *Piaſeccius*, in Chron. ad hunc annum.

§. 239.

Tranſilvaniæ igitur regimen manibus *Chriſtopho ri Bathori* hoc pacto eſt commiſſum, ut Stephanu Rex, cum titulo Regis Poloniæ, titulum quoque Prin cipis Tranſilvaniæ combinaret, dominiumque huju regionis ita obſervaret, ut quoad viveret nihil ardu ipſo inſcio & inconſulto ſtatueretur, imo Diplomat quoque majoris momenti omnia ab eodem confirma rentur. Non multo poſt ingreſſum Stephani in Po loniam, Maximiliani copiæ fortalitium aliquod, paſſun ex Hungaria in Maramoros claudens, expugnarunt Quare Chriſtophorus ſtatim manum quandam Duc Hagjmáſio Varadinum expedivit, ut motibus Cæſare anorum ulterioribus obicem poneret, ſimulque ab Im peratore Turcarum ſuppetias ſibi per Baſſam Buden

ſen

ſem ac Temesvarienſem ferendas expetiit, quibus tamen opus non habuit, cum Maximilianus, d. 3. Octobris ejusdem anni 1676. obiiſſet, ac *Rudolpho*, Imperium Germanicum reliquiſſet. *Vid. Bethlen.* loc. cit.

§. 240.

Poſtquam Chriſtophorus Bathori Aó. 1577. Ioanni Getzio Præfecturam Varadienſem, quam ipſe gesſerat, commiſiſſet, ipſe Symbolo ſuo: *Virtus unita valet*, ſatisfacturus, in animis Provincialium, ſibi invicem conciliandis & omnibus discordiæ ſeminibus exſtirpandis operam feliciter collocavit. Accepto eodem hoc anno mandato ab Imperatore Turcarum, ut Petrum Moldaviæ Principem, a Ioanne quodam regione pulſum, reſtitueret, Stephanum Bathoreum patruelem ſuum cum ſtipendiariis militibus & juſta Siculorum manu miſit, qui Ioanne ejecto, Petrum in Moldaviam introduxit. Cæterum tranquilla pace his temporibus fruiti ſunt Tranſilvani, nec aliud quidquam eosdem afflixit, niſi quod Aó. 1579. Chriſtophorus Vajvoda, inſtinctu Stephani fratris, Regis Poloniæ, ac Pontificis ſummi, Gregorii XIII. Claudiopoli celebre Societatis Ieſu Collegium inſtaurare cœperit, licet Ordines Regni Iura ac Sanctiones Provinciæ jurisjurandi Sacramento ſtabilitas allegarent, quibus ſocietas iſta jam pridem illinc fuerit rejecta, & Aó. 1580. unam Decimarum quartam paſtoribus Saxonicis omnibus, ſolis Barcenſibus exceptis, Fiſco vindicaverit, quam tamen quovis anno determinata Arenda iisdem exſolvi curavit. *Vid. Bethlen.* Lib. VI. *pag.* 356. *Miles* loc. cit. *pag.* 141. *Haneri* Hiſtoria Eccleſ. *pag.* 304. item *Andreæ Scharſii* Ordinata Digeſtio *Mſcripta.*

§. 241.

Eodem hoc anno 1580. Christophorus Vajvoda fratri Stephano, Poloniæ Regi, bellum contra Moscos gerenti, auxilia valida & equos præsertim complures misit, sequenti vero anno 1581. cum conjugem Elisabetham Botskajanam amisisset, ejusque mortem lugendo valetudinem suam eousque afflixisset, ut exigua spes recuperandæ salutis superesset, ex consilio Joannis Gálfi, qui eidem a consiliis secretioribus erat, annuente Stephano fratre, filium suum novennem *Sigismundum*, in comitiis, Claudiopoli mense April. habitis, Vajvodam per suffragia procerum creari curavit, & brevi post Albæ Iuliæ d. 27. Maji, anno ætatis 51. vivere desiit, ubi etiam post biennium in æde S. Michaëlis Archangeli humatus est, & Epitaphium marmori e Polonia allato inscriptum etiamnum videndum, quod exhibet *Bethlen.* pag. 369. qui etiam elogium ejusdem ex Annalibus patriæ *pag.* 361. annotavit

§. 242.

Mortuo Christophoro, *Sigismundo* successori illius, ad confirmationem in Vajvodatu allata sunt ab Amurathe sceptrum, vexillum & reliqua insignia consveta. Imperium vero Transsilvaniæ ex constitutione Vajvodæ defuncti stetit penes 12. Consiliarios, quorum præcipui fuerunt: Dionysius Csaki, defuncti Principis ex sorore nepos, & Stephanus Botskaj ejusdem affinis, qui tamen in omnibus ex consilio Stephani Regis egerunt, & tranquillitatem regionis viribus omnibus promoverunt. Mutavit aliquantulum hanc regiminis formam Stephanus Rex, Aó. 1583. quo publico Diplomate Alexandrum Kendium, Volffgangum Kovacso-

vatsotzium & Ladislaum Somborium, præſides reipublicæ Tranſilvanicæ gubernandæ nominavit, iisque etiam negotium formandi Principis minorennis contulit. Nec tamen hujus Triumviratus diu conſtans auctoritas fuit; Tranſilvani enim illos privato commodo nimium intentos credentes, per ablegatos Stephanum Apaffi, Wolffgangum Kornis & Lucam Litterati, Notarium Coronenſem, Aő. 1584. Gubernatorem ſibi expetierunt, quo honore Rex Aő. 1585. *Ioannem Getzium* præfectum Varadienſem eſt dignatus, qui etiam menſe Aprili in Tranſilvaniam venit & juramentum Ordinibus de officio rite adminiſtrando præſtitit. *Vid. Wolffgang. Bethlen.* Lib. VI. *pag.* 370. ſequ. *Miles* pag. 242.

§. 243.

Quanta his temporibus apud Tranſilvanos Stephani Poloniæ Regis fuerit auctoritas, jam ex allatis liquere poteſt. Adde quæ circa idem tempus evenit & Calendarii Gregoriani in Tranſilvaniam introductionem & Statutorum Municipalium Saxonicorum ab eodem Rege expetitam & obtentam confirmationem. Cum enim Saxones ad hoc usque tempus nullum jus peculiare publica Principis auctoritate firmatum habuiſſent, Aő. 1582. legati Vniverſitatis Saxonicæ Albertus Süveg (i. e. Hueth) Iudex Regius Cibinienſis, Dominicus Dietrich, Iudex Regius Schæſzburgenſis, Matthias Fronius, Civis juratus Braſſovienſis, Ioachimus Koch, Magiſter Civium Medienſis & Caſparus Budaki, Iudex Biſtricienſis, in Poloniam ad Regem Stephanum ſunt profecti, eique codicem Iuris municipalis, quo hodie tota Natio utitur, confirmandum exhibuerunt, & petitum Aő 1583. obtinuerunt d. 18. Februar. ſicut id ex Diplomate patet Regio, dictis

Statutis Municipalibus, Coronæ latino & Germanico id[illegible] omate [illegible] eodem hoc anno impressis, adjecto.

§. 244.

Præter tranquillam rerum Transilvanicarum hi[illegible] temporibus faciem [illegible] & agrorum & vinearum pro[illegible] ventus [illegible] annonæ [illegible] vilitatem, quipp[illegible] ad annum [illegible] politanus annota vit, [illegible] ut 5. cubul[illegible] [illegible] vini autem 9c[illegible] [illegible] Turbavit han[illegible] [illegible] Aó. 1586. ex [illegible] Hungaria tar[illegible] [illegible] infantes edi[illegible] [illegible] destinat[illegible] [illegible] Transilvaniæ cala[illegible] [illegible] Markafius machi[illegible] [illegible] duplo tri[illegible] [illegible] affectavit, ve[illegible] [illegible] Regis machinationes illius subvertent[illegible] [illegible] ejuratione chri[illegible] [illegible] haberet. Maxim[illegible] [illegible] Transilvanis [illegible] mors hujus d[illegible] [illegible] Regis Stephani [illegible] d. 13. Decembr[illegible] [illegible] Lib. VI. [illegible] Hist. Polonicæ *Piasec*[illegible] [illegible] &c.

§. 245.

[illegible] Regis Stephani [illegible] sese in Transilvaniam af[illegible] [illegible] eosdem, successionem i[illegible] [illegible] traducendi indicarunt, sed [illegible] declaravit. *Gra*[illegible]

dem

dem enim in illo pecuniæ ſummam 200000. florenorum cariſſimæ ſuæ patriæ & præterea unicornu 30000. flor. pretio comparatum per Tranſilvanos Turcarum Imperatori legaverat offerendum. Nepotem vero ſuum ex fratre Chriſtophoro, Sigismundum Tranſilvaniæ Vajvodam vaſorum aureorum, nepotes vero ex fratre Andrea, Andream quidem Cardinalem, cui Epiſcopatum contulerat Varmienſem, vaſorum argenteorum omnium & Balthaſarem, Terræ Fagaraſienſis hæredes ſcripſerat, ſicuti id Polonici Scriptores ſupra citati prolixe enarrarunt, ex quibus Martinus Cromerus, totum vitæ Regis hujus curſum brevi compendio comprehenſum exhibuit, Hiſtoriæque ſuæ præmiſit, quod ſuo etiam operi inſeruit, *Bethlen.* Lib. V. *pag.* 385 - 87.

§. 246.

Non ſolum legati hujus & hæreditatis adeundæ, ſed etiam ipſius Regni faſces ſibi expetendi cauſſa, Sigismundus Bathori, anno ſequenti 1587. legatos ſuos ad comitia Varſovienſia expedivit; verum utut Poloniæ proceres attente ſatis Wolffgangum Kovatsotzium Tranſilvaniæ Cancellarium, publice perorantem audirent, annuere tamen Sigismundi poſtulatis recuſarunt, animis illorum ad Sigismundum Sveciæ Regem ex Iagellonica ortum, converſis. Cum tamen Maximilianus Archi-Dux Auſtriæ, cui quidam Polonorum adhærebant, armata manu poſtulata ſua proſequi vellet, & Cracoviam adgredi minaretur, Samoſcii, Regni Poloniæ Cancellarii, precibus commotus, Sigismundus Vajvoda fratrem Balthaſarem cum expedita militum manu, & Ducibus Ioanne Bornemiſſa, ac Alberto Király, Polonis auxilio miſit. *Vid. Bethlen.* Lib. VI. *pag.* 394.

§. 247.

Iam anno eodem 1587. in Comitiis
æque ac subsecutis Claudiopolitanis, contrib
stentationem Aulæ Vajvodalis restituta erat.
tur sequenti 1588. in Comitiis Regni genera
diæ d. 18. Decembr. celebratis, Ioannes
provectam ætatem, onus Gubernatoratus de
premi Consiliarii & Capitanei Regni gener
contentus, & Sigismundus Bathori ad jura,
dines & sancita Regni observanda jurejurando
gens, regiminis habenas capessivit, primum
statueret, hoc fuit, ut Ordinibus Regni seric
tibus Societatem Iesuitarum universam e Tr
licet difficulter eo se adduci pateretur, releg
tuum & Ordinum Regni Transilvaniæ insta
solum, verum etiam responsa Sigismundi
hoc in puncto data, annotavit *Miles* Lib. cit
& *Bethlen.* Lib. VI. *pag.* 399.

§. 248.

Constitutum erat in comitiis Mediens
mentionatis, ut Vajvoda semper penes se
certo numero Consiliarios haberet, quoru
niteretur, ita ut præcipue sine illorum cons
ni bona quædam sive prædia conferri po
rum anno statim sequenti, 1589. ex consili
ris Bathori, & Ioannis Gálffi puncta Artic
lorum, in comitiis prædictis stabilitorum qu
tamen Sigillo publico munitorum, in alic
tavit, illisque adscribi curavit, se absolutum
niæ Principem constitutum esse, ac re ipsa
monstrare volens, inconsultis Consiliariis in

menſium ſpatium plures quam 1000. colonos, nobilibus, qui ſuis partibus adhærere videbantur, diſtribuit. Eodem hoc anno Sigismundus Princeps, Stephanum Bathori, Balthaſaris fratrem natu majorem, præfectura ornavit Varadienſi, Balthaſarem vero ipſum, Getzio mortuo, ſupremum Regni Generalem conſtituit, & per Stephanum Bodonem Romam miſſum, abſolutionem ab excommunicatione, quam per relegationem Ieſuitarum ſibi contraxerat, a Pontifice ſummo impetravit. *Vid. Bethlen.* Lib. VI. *pag.* 400.

§. 249.

Non diu ſubſiſtere potuit concordia inter fratres patrueles, Sigismundum & Balthaſarem Bathoreos. Anno enim ſtatim ſequenti 1590. ob Stephanum Ioſika de Karan-Sebes, famulum Sigismundi a Balthaſare verberibus exceptum, diſſidium inter eosdem ortum, ac per homines nefarios, qui Sigismundo perſvadere conabantur, Balthaſarem Principatum affectare, eousque auctum eſt, ut Aó. 1591. Principe ſententiam procerum ſcire volente, ac conſilium hac in re ſibi ab illis dari efflagitante, iſti Alexandro Kendio præeunte, reconciliationem quidem omnimode tentandam, ſi vero ea obtineri non poſſet, Balthaſarem vel ex regno amovendum, vel etiam necandum ſvaderent. Quæ ſententia, licet Sigismundo ſub promiſſione ſilentii detecta eſſet, ab hoc tamen confeſſario ſuo relata, & per hunc cum Balthaſare ipſo communicata eſt. Quare hic, qui jam propria auctoritate Gubernatoratus ſibi poteſtatem vindicarat, minis intentatis eo rem perduxit, ut ipſe Princeps & proceres primarii, omnibus modis ſe ei excuſarent, culpam omnem in Paulum Gyulay & Ioannem Gálfium rejicientes. Quo pa-

cto animus Balthasaris sedatus quidem ad tem
semina tamen simultatum altiores in dies radi
runt, & tristissimis posthæc tragædiis ansam
runt. *Vid. Bethlen.* pag. 401 - 405.

§. 250.

Cæterum annus 1591. in fastis Saxonum
vanorum celebris est propter deputationem
um eorundem præcipuorum ad Principem S
dum, sub cujus regiminis initio statim Nobiliu
indulgentia Principis juvenis, rebus ludicris,
choreis magis, quam gubernationi Reipublicæ
abusi, Privilegia Nationis Saxonicæ aggressi o
illam pertinentes, libertate avita privare tentaru
tionem, quam antesignanus illius deputationi
tus Huet, Comes dictæ Nationis universæ & I
gius Cibiniensis, d. 10. Iunii anni prædicti, Al
ad Principem præsentibus Stephano Bathori,
Varadiensi, Volffgango Kovácsotzio Cancellar
phano Botskaj, Consiliario, aliisque Regni pr
habuit, quave libertatem Saxonum Transilvan
missimo fundamento innixam esse, eum in
demonstravit, ut nemo postea eandem sugillai
mum induxerit, in *Mscripto* tenemus, ex latino
manicum idioma translatam exhibuit *Miles* pag.

§. 251.

Inter hæc Sigismundus per Iesuitam, Al
Cariglіam, confessarium suum, variis rationib
perduci passus est, ut Pontifici Summo obter
rus decerneret, fœdere cum Turcis inito d
sese numero eorum Principum, qui bella cum

gererent, aggregare. Confirmarunt eundem hoc in propoſito oratores ipſius Byzantii commorantes, qui Turcas nova Tranſilvanis moliri perſcripſerunt. Varias & hinc, & aliis etiam circumſtantiis, patriæ mutationes prævidens Stephanus Bathori, Capitaneatui Varadienſi ſe abdicavit, in cujus locum Sigismundus Princeps, Stephanum Botskaj d. 20. Iunii 1592. ſuffecit. Cæterum eodem hoc anno amicitia inter Sigismundum & Balthaſarem reſtaurata viſa fuit, cum hic indulgente Principe, Paulum Gyulaj, in quem æque ac Ioannem Gálffium, ut ſupra dictum eſt, culpa ſententiæ durius in Balthaſarum latæ, devoluta fuerat, vindictæ ſuæ immolaturus per milites ſtipendiarios in Abafaja prope Száſz-Regen fruſtulatim concidi curaſſet. Gálfium vero ex fuga retractum, ipſe Sigismundus Princeps inſtinctu Bodonii & Balthaſaris, Aó. 1593. huic velificaturus, in arce Húſztenſi decollari juſſit. *Vid. Bethlen.* Lib. VII. *pag.* 412.

§. 252.

Vario per annos proxime elapſos marte bellum in Hungaria geſtum erat. Cum vero Aó. 1593. Hazanes ad Siſciam cum toto fere ſuo exercitu oppreſſus periiſſet; Sinanus Purpuratorum Princeps octogenarius, ab Amurathe Imperatore ad vindicandam cladem contra Chriſtianos eſt expeditus. Infenſus ille Sigismundo Bathoreo hac occaſione multa ad eum mandata duriſſima Sultani nomine perferri juſſit, & in his præcipue, ut copiis Tranſilvanicis ei in expeditione præſto eſſet, exercitumque præterea commeatu immenſo juvaret. Cum vero Sigismundus per oratores ſuos comperiſſet, Sinanum inſidias ſibi ſtruere: conſilium jam diu agitatum deficiendi a Turcarum Imperatore celavit

quidem

quidem, imo ad mandatum Amurathis non modo Sybrikium cum copiis in Moldaviam ablegavit, qui Petro ejecto, Aaronem Vajvodam reſtituit, verum etiam ipſe exercitum in Hungariam, quam Sinanus menſe Sept. aggreſſus erat, eduxit, clam vero Chriſtophorum Tieffenbachium ſuperioris Hungariæ Pro-Regem, per Ioannem Imréhſium Caſſoviam ablegatum, de expeditione Sinani certiorem fecit, copiasve ſuas ab omnibus in ditiones Cæſareas incurſiones continuit, ac poſtquam illas in hyberna reduxiſſet, a Sinano nullis motivis ſe adduci paſſus eſt, ut eas Turcis, in Hungaria per hyemem male a ducibus Cæſareis habitis, iterum auxilio mitteret, quibus omnibus magnam apud Rudolphum gratiam inivit. *Vid. Bethlen.* Lib. VII. *pag.* 427.

§. 253.

Eodem hoc anno 1593. Sgismundus legatum ſuum Stephanum Kakas, ad Angliæ Reginam & per eundem ad diverſos alios etiam Chriſtianos Principes litteras miſit, ac præterea per Alphonſum Carigliam, Sacerdotem ſuum, ad Pontificem Romanum expeditum, conſilia ſua de ineundis cum Romano Imperatore fœderibus aperuit; circa exitum denique anni cum Sigismundum III. Poloniæ Regem, in Sveciam abiiſſe, Vajvodæ nunciatum eſſet: Euſtachium Gyulaffi in Poloniam miſit, per eundemque, auxilio Andreæ Bathori Cardinalis, aliorumque Regni procerum eo rem deduxit, ut niſi ſequenti anno Rex Sigismundus ex Svecia rediiſſet, creditum fuerit a complurimis Sigismundum Vajvodam Tranſilvaniæ faſces Regni Poloniæ fuiſſe conſecuturum. *Vid. Bethlen.* pag. 456.

§. 254.

Sub ingressum anni 1594. Sigismundus Princeps opositum, a cujus executione priori anno difficulter ne retineri potuerat, fœdus nempe cum Turcis rumndi, majori studio ursit, incitatus nimirum de novo 'ontificis legato, Cumæleo, simul cum Cariglia Ro- adventante & a Cardinale Bathoreo in Transilvam per hyemem advolante. In conventu igitur ad 2. Febr. Albam indicto, rationem pecuniarum & mium ad expeditionem hujus anni necessariorum rite linari curavit, interim insciis Senatoribus, per ablecos suos, non solum Aaronem Moldaviæ & Michaem Valachiæ Vajvodas ad communem rebellionem 'itavit, verum etiam Rascianos per Georgium Palaum, Banum Lugosiensem, ad arma contra Turcas nmenda concitavit. A quibus cum optatam responnem obtinuisset, Turcasve præterea apud Hatvam cæsos percepisset: Statibus & Ordinibus Regni iordam ad diem 12. Maji convocatis, consilium sun per Cancellarium Volffgangum Kovacsotzium proe aperuit, atque ut eidem accederent multis ratioous efficere laboravit, nec tamen aliud quid obtinu-, Alexandro Kendio & proceribus compluribus prositum strenue disvadentibus, quam ut Balthasare thoreo in summum militiæ generalem creato, Iome autem Gerendio curatore ærarii constituto, miiæ ad omnem eventum congregandæ cura haberetur. id. *Bethlen.* Lib. VII. *pag.* 470.

§. 255.

Ad flectendos dubios procerum Transilvaniæ anios, supervenerunt a Pontifice novus legatus, Amalhæus Abbas, a Matthia vero Austriæ Archi-Duce,

Do-

David Vngnad, omnibus viribus Tranſilvanos ad a
ma contra Turcas capeſſenda commovere conante
Sigismundus Princeps iteratis utrumque promiſſion
bus confirmatum, ad principalem ſuum dimiſit. S
tisfacturus igitur pollicitationibus ſuis, Raſcianorumq
poſtulatis, qui Rebelles contra Turcas facti auxilia
Tranſilvanis expetebant, Albam circa initium Iulii n
va comitia indixit, hisque ſine effectu finitis men
Iulio proceres Regni eodem convocavit, qui ſente
tiæ Principis & propoſito fœderis cum Turcis ru
pendi, ad quod ſe juramento obſtrinxerat, accede
nolentes, Thordam conventum transtulerunt, in c
jus vicinia univerſa nobilitas ſagata ſtativa habebat, cu
que eo Princeps invitatus venire detrectaret, ideoq
a ſummis quibusdam proceribus depoſitio ejusdem u
geretur; convaſatis ille mox theſauris Kövarinum
recepit, unde cum mox ad comitia Claudiopolim tra
lata litteras miſiſſet, animosque Statuum & Ordin
eo flexiſſet, ut eum communi nomine, urgente id pr
ſertim Alberto Huet, Saxonicæ Nationis Comite, r
vocarent: copiis Varadino excitis ſtipatus pedem r
tulit, ac die 28. Auguſti XIV. ex proceribus primi o
dinis viros in vincula conjici, ac brevi poſt diverſ
locis & modis e medio tolli curavit. *Vid Bethle*
Lib. VIII. pag. 555. & *Marchtaller* in *Reb. Sig.* p. 2

§. 256.

Inter præcipuos hoc modo neci datos fuerunt Ba
thaſar Bathoreus, patruelis Sigismundi, Volffgang
Kovacsotzius, Cancellarius, & Alexander Kendi, Co
ſiliariorum primus, quorum iſte Claudiopoli publi
decollatus fuit, illi vero Szamosujvárini ſtrangulati f
erunt, atque ex confiſcatione bonorum eorundem
pl

plus quam ſexcenta millia florenorum fiſco adjudicata. Varia de eorundem morte ſententia apud auctores reperitur, aliis eosdem innocentes, aliis vero merito plexos fuiſſe judicantibus. Quidquid vero ejus rei ſit, illud certum eſt, eosdem non confeſſos, nec convictos ſupplicio affectos fuiſſe, & licet Princeps ipſorum ſcelera luculentis teſtimoniis, occiſorumque ipſis chirographis, ſe comprobaturum ſemper promiſerit, illud tamen nunquam factum eſſe. *Vid. Thuanus, Miles & Iſtvánfius* &c. ad Annum 1594.

§. 257.

Eodem hoc anno 1594. Sigismundus legationem ſolemnem Duce Stephano Botskaj de Kis Maria, avunculo ſuo, Comitibus vero Alb. Huet, Iudice Regio Civitatis Cibinienſis tribusque aliis Hungaris ad Rudolphum II. Romanorum Imperatorem, Pragam expedivit, quæ de permutatione Tranſilvaniæ cum aliis Principalibus, ducenda conjuge ex domo Auſtriaca, mittendis contra Turcas auxiliaribus copiis &c. cum eodem ageret. Præterea vero Tartaros ingreſſum in Hungariam ad Sinanum per Tranſilvaniam militantes & muneribus Chano eorundem miſſis, & copiis quibusdam ad limites Principatus tuendos diſpoſitis feliciter removit. *Vid. Anonymus* in Ungriſchen und Siebenbürgiſchen Kriegshändeln. pag. 113. *Volffgang. Bethlen.* Lib. VIII. *pag.* 570. ſequ.

§. 258.

Clarus fuit annus ſequens 1595. nuptiis Principis Sigismundi. Legati enim illius Praga relicta, juſſu Imperatoris Rudolphi, Græciam in Styria ſunt profecti, ibidemque Dominica Lætare, cum *Maria Chriſtierna*

Caro-

Caroli Archi - Ducis Auſtriaci filia, ſolemni ritu cor
traxerunt, biduoque poſt iter Tranſilvaniam verſus un
cum ſponſa ejusque matre, ingreſſi, tandem die 2
Iulii, Claudiopolim attigerunt, unde cum triduo po
Albam magna cum pompa ſponſa Principis petiiſſet
introitumque celebraſſet, die 6. Auguſti, copula Sace
dotali per nuntium Apoſtolicum peracta, nuptiæ ipſ
ſolemniſſimo ritu inſtitutæ fuerunt. Sub finem ver
menſis Princeps ſocrum largiter donatam ad lares p
trios redituram dimiſit, ipſamque usque ad Enyed
filia vero usque ad Tasnadium oppidum in finib
Tranſilvaniæ ſitum, eſt comitata. *Vid Anonymus* L.
pag. 205. *Bethlen.* Lib. VIII. *pag.* 574. ſequ. apu
quam etiam pacta conventa inter Rudolphum & Sigi
mundum die 5. Martii ſubſignata, verbotenus expreſ
legi poſſunt.

§. 259.

Nuptiis peractis Princeps Sigismundus arma c
peſſans, exercitum ex Germanis ab Imperatore R
dolpho tenore pactorum cum eodem initorum ſu
miſſis, Valachis item, Moldavis, Coſacis Italisq
etiam mercede conductis, & Provincialibus inſtruxi
ſpretisque minis & promiſſionibus legatorum Turcic
rum, qui jam menſe Aprili in Tranſilvaniam, ipſu
a propoſito dehortaturi, advolarant, Moldaviam ve
ſus movit perducto jam variis artibus Regulo Val
chiæ eo, ut communia ſecum Turcis arma inferre
Relicta igitur d. 27. Auguſti Alba primisque apud S
beſum caſtris poſitis, menſe Septembri per Barcia
Valachiam eſt ingreſſus, ac primo impetu Tergov
ſtum & Bukureſtum aliaque Valachiæ loca occupavi
Turcis undiquaque rejectis, eoque adactis, ut cum S
nan

no Bassa, trans Danubium maxima cum præcipitane se referrent. *Vid. Bethlen.* Lib. VIII. *pag.* 601. iu. *Istvánfi.* pag. 669. *Iacobinus* item & *Marchthaus* in Rebus Sigismundi.

§. 260.

Rebus sic feliciter gestis Sigismundus Duces suos, orváth & Király in Thraciam usque progressuros, onstantinopolimque ipsam timore completuros emi-, ipse vero circa finem Octobris Coronam est reessus, paucisque post diebus Albam præda onustus, igna suorum cum lætitia, ingressus. Cum vero inea Poloni in Moldaviam irrumpentes Provinciam ente Vajvoda occupassent, Ieremiamque quendam locum Stephani Vajvodæ introduxissent: Sigismuns partem exercitus ad Stephanum restituendum ablevit, alteram vero sub Stephano Botskaj, reducem mum in hyberna remisit, & germanicas denique cois Ducibus earum liberaliter donatis, in Hungariam ire passus est. *Vid.* Auctores §. præced. cit. & *Piacius* in Chronico suo, ad Annum 1595.

§. 261.

Anno 1596. Sigismundus Princeps, primis statim nuarii diebus, commissis Stephano Botskajo Regni hanis, ad Rudolphum II. Imperatorem iter suscepit, agamque die 4. Febr. splendido cum comitatu pernit. Primum hic inter colloquium cum Imperatore stitutum, febri adeo concussus est vehementi, ut in ospitii cubiculum sese recipere cogeretur, ubi brevi ost per integrum corpus morbilli eruperunt. Recuerata tandem valetudine, promissionibusque de submit-

tendis ab Imperatore novis auxiliis impetratis, d. 4 Martii Praga discessit, Viennamque contendit, eo quidem fine, ut socrum Græcii commorantem inviseret a quo tamen proposito litteris ex Transilvania acceptis, quibus de rebellione Siculorum certior factu fuit, avocatus, Viennæ per aliquot solum dies commoratus in patriam iter relegit, Albamque sub initium Aprilis ingressus, suppliciis ab antesignanis rebellionis sumtis, pacem regioni restituit, atque tranquillitatem. *Vid. Istvánfi.* pag. 680. *Bethlen.* Lib. IX pag. 614. sequ. *Miles* pag. 173. sequ.

§. 262.

Eodem hoc anno die 21. April. Claudiopol conventus Provincialium institutus, in eoque de continuando adversus Turcas bello deliberatum fuit. Ad mentem consiliorum hic initorum Sigismundus copias suas cum exercitu Maximiliani in Hungaria bellantis conjunxit, quarum tamen florem in pugna Kereſztesiana cum amisisset, brevi post in Transilvaniam rediit, ac comitia Albam Iuliam ad ultimam diem Novembr. indixit, in quibus necessaria ad subsecuturam executionem bellicam fuere stabilita, quibus etiam Michaël, Valachiæ Vajvoda, paulo ante Festum Nativit. Christi in Transilvaniam advolans, Sigismundumque Albæ Iuliæ conveniens, suum calculum adjecit. *Vid. Istvanfi.* Lib. XXX. pag. 687. sequ. *Bethlen.* l. c. pag. 622. *Miles*, pag. 172 - 174.

§. 263.

Sub initium anni sequentis, 1597. Sigismundus Princeps, conjuge Kövárini relicta, sese itineri rursus ad Rudolphum Cæsarem commisit, Pragamque splendido

dido cum comitatu pervenit. Hic vel proprio inſtinctu, quod retinendæ Tranſilvaniæ ſeſe imparem ſentiret, vel aliorum ſvaſu, eo tandem deductus eſt, ut Principatum ſuum ſub quibusdam conditionibus Rudolpho Imperatori offerre non dubitaret. Obtento tandem Aureo Vellere, redux in Tranſilvaniam factus, die 17. April. comitia Albam Iuliam indixit, factaque ad bellum contra Turcas continuandum præparatione, Stephanum Ioſikam tandem cum numeroſa armatorum manu ad Temesvári arcem obſidendam expedivit. Cum vero hic menſe Novembri obſidionem ſolvere, & magno cum incommodo exercitus in Tranſilvaniam redire coactus fuiſſet: Sigismundus oblationis Principatus ſui Rudolpho factæ, pœnitentia correptus, Principatum ipſum primum Caſparo Kornifio, mox Stephano Botskajo, & tandem ipſi Stephano Ioſika Cancellario, imprudens obtulit, magnaque inter proceres hoc facto discordiæ ſemina jecit. *Vid. Iſtvánſi*. Lib. cit. *Miles* pag. 175. *Bethlen*. Lib. IX. pag. 616. ſequ.

§. 264.

Anno ſequenti 1598. ineunte Legati ab Imperatore Rudolpho miſſi in Tranſilvaniam advolantes Principem Sigismundum ad conſummandam Tranſilvaniæ oblationem, præterito anno Cæſari factam, variis rationibus ac promiſſionibus adegerunt. Primariæ harum fuerunt, ut Princeps Principatum Oppoliæ & Ratiboriæ in Sileſia cum 50000. florenorum ſumma, a Cæſare quotannis ſolvenda obtineret, ac præterea, ſi dimiſſa conjuge ad Statum eccleſiaſticum transire vellet, dignitatem Cardinalis cum Epiſcopatu Olomutzenſi, aut Vratislavienſi aſſequeretur. Vix autem promiſſiones ſuas

Sigismundus iteraverat, cum statim pœnitentia iten correptus, Cancellario Iosika, Principatum potius c ferre meditaretur, imo ad Portam quoque pro o nenda ejusdem confirmatione, legatum secreto expe ret. Interea novi a Rudolpho legati in Provinciam ventantes, summo impetu Sigismundum comitia A celebrantem ad promissis suis satisfaciendum urseru eoque rem tandem deduxerunt, ut Iosika elapso, Pr ceps certis sub conditionibus supra memoratis, Prir patu abdicaret, Transsilvani vero Rudolpho Impera ri juramentum fidelitatis præstarent. *Vid. Bethlen.* I IX. *pag.* 635. *Istvánfi.* pag. 717. &c. *Miles* pag. 183.

§. 265.

Tradita hoc modo Imperatori Romanorum P vinciæ, Sigismundus solenni oratione Provincialibus ledixit, thesauroque Principali, omnibusque ad prc ctionem necessariis convasatis, antiquitatibus vero scriptis publicis innumeris dissipatis, aut igne crema Albam tertio post orationem die, circa finem mer Aprilis reliquit, lentisque itineribus, exiguo cum mitatu in Silesiam se recepit, Iosika Commissariis legatis Rudolphi extradito, & Szathmarinum in cus diam deducto. Quo facto, administratio Transsilvar penes Commissarios Cæsareos fuit, qui consilia sua c proceribus Provinciæ communicare debuerunt; Pr cipissa vero ex arce Kövár Albam deducta, rebus co muni cum legatis cura præfuit; hinc varia nom Principis *Mariæ Christiernæ* emanarunt Decreta, us dum rumore belli Turcici perterrita Claudiopolim m se Sept. se reciperet, firma cum intentione, patri prima commoda occasione repetendi. *Vid. Bethl.* Lib. IX. p. 644. seq. *Istvanfi.* p. 757. *Miles* p. 192. *P seccii.* Chron. p. 221.

§. 26

§. 266.

Transilvania hoc modo ditionibus Rudolphi Imperatoris adjecta, legati quoque a Comissariis ad Michaëlem, Vajvodam Valachiæ, fuerunt expediti, fœdusque cum eodem, numeratis 10000. aureis, contra Turcas initum, pactumve sancitum est, ut Michaël ejusque posteri, Provinciam Rudolpho ejusque successoribus sine ullo tamen tributi onere in clientalem darent. Cum vero interea bellum in Hungaria acerrime continuaretur, proceresque Transilvaniæ subsidium a Maximiliano, Rudolphi fratre contra Turcas militante, sine ullo successu flagitarent: Sigismundus de his certior factus, die 20. Augusti, dissimulata persona per Poloniam in Transilvaniam est regressus, Claudiopolimque altissima nocte ingressus, variis blandimentis conjugem ibi hærentem sibi conciliavit, reditumque suum proceribus extemplo significavit. Quo facto Botskajus, aliique Sigismundo faventes proceres conscripto milite, Siculisque ad arma vocatis, conventum Thordæ indixerunt, & Sigismundo, defectionis suæ caussas exponenti, Principatum iterum publico nomine contulerunt. *Vid. Istvansi.* pag. 724. sequ. *Miles* pag. 193. *Bethlen.* Lib. IX. pag. 655. sequ.

§. 267.

Rudolphus Imperator Provinciam Transilvaniæ hoc modo sibi rursus ereptam esse indignatus, illatam injuriam ulturus, a Stephano Iosika, qui Szathmarini in vinculis detinebatur, supplicium capitis summi jussit, quo comperto Sigismundus quoque Commissarios Imperatoris compedibus vinctos in custodiam dedit; brevi autem post, precibus conjugis suæ fatigatus, liberaliter donatos in Hungariam ad Maximilianum Archi-

Ducem remisit, ac mox per legatos proprios Rudc phum sibi reconciliare omnibus viribus laboravit, in etiam Turcarum Imperatorem de amicitia ac favc restaurando variis artibus sollicitavit. *Vid. István* pag. 726. *Miles* pag. 197. *Bethlen.* pag. 673. sequ.

§. 268.

Dubius an gratiam Imperatorum Orientis & Oc dentis recuperaturus sit, Sigismundus ad depon dum iterum Principatum animum vertit, ac sive sp te sua, sive artibus inductus Polonorum, patruel suum *Andream Bathori* Cardinalem, Episcopum V miensem in Transilvaniam invitavit. Cumque hic initium statim anni sequentis, 1599. in Provinciam volasset: Princeps coacto statim Mediam conven eidem Provinciam solenni ritu cessit, his quidem conditionibus, ut iste, confirmatis Regnicolarum Pr legiis & immunitatibus, Bistricium cum Districtu eid adhærente, nec non arces Sajo & Vécs Sigismu relinquat, eidemque, ubicunque tandem locorum fo annuos 24000. florenos exsolvi curaret, quo fac conjugi & proceribus valedixit, ac triduo post Moldaviam in Poloniam se recepit. Et Maria (dem Christierna Patriam repetiit, in cœnobio vi finitura. Legati autem Sigismundi a Rudolpho b gne dimissi, nova rerum commutatione cognita, ex retracti, Viennamque in carceres deducti fuerunt, act que fuisset de vita eorundem, nisi rationibus & j mento præstito, innocentiam suam docere potuiss *Vid. Istvanfi.* pag. 736. *Miles* pag. 224. sequ. *Beth* Lib. X. *pag.* 678. sequ.

§. 269.

Obtento hoc modo Principatu *Andreas* Cardinalis, legatos ſuos ad utrumque Imperatorem devotionis exhibendæ, ad Valachiæ vero & Moldaviæ Regulos pacis ac fœderis confirmandi cauſſa expedivit. Et Michaël quidem, Valachiæ Vajvoda, pacis conditiones non ſolum acceptavit, verum juramento etiam firmavit, clam vero nihil magis, quam Andream Principatu ejicere eſt meditatus. Quare ſub prætextu inferendi Turcis arma, ab ipſis Tranſilvanis, quidquid ad apparatum expeditionis contra Andream ſuſcipiendæ pertinebat, ſibi acquiſivit, Alpesque transgreſſus, Barciam jam hoſtiliter invaſerat, antequam Andreas, comitia Albæ agens, voluptatibusque ſe totum tradens, de rupto a Michaële Vajvoda fœdere quidquam compeiſſet. Statim igitur Ordines ac Nationes omnes cum armis ad Sabeſum coire juſſit, dumque Michaëlem Vajvodam cum exercitu ſuo Cibinium verſus movere comperiſſet, ipſe exiguo copiarum ſtipatus numero (quippe aliquot Siculorum Sedes, Valachis ſe junxerant, promiſſionibus Vajvodæ evocatæ) hoſtibus obviam proceſſit, & ad pagum Schellenberg, caſtra ſua locavit, ibique d. 29. Octobr. prœlio decrevit, in quo Cardinalis copiæ fortiſſime pugnantes victoriam omnino deportaturæ fuiſſent; niſi prædæ nimis inhiantes, ordines turbaſſent, & hoc modo in fugam ſe agi paſſi fuiſſent. Andreas Moldaviam verſus fugiens, in ſilvis fame ſitique per aliquot dies miſere preſſus oberravit; tandem vero ad Paſſum Ojtos, a Siculo quodam, Blaſio Ördög, miſere trucidatus eſt, annum agens vigeſimum octavum. *Vid. Iſtvánfi.* pag. 736. *Miles*, pag. 242. *Bethlen.* Lib. X. *pag*, 764. *Piaſeccius* l. c. pag. 174.

§. 270.

Interfecto hoc modo Principe Andrea, multisque viris egregiis in fuga interemtis, non pauci ex Nobilibus præsertim iis, qui aut necessitudine Cardinalem propius attigerant, aut gratia multum apud eum valuerant, a Siculis capti ad Michaëlem ducti, ac jubente Vajvoda, ab ipsis prope Albam obtruncati fuerunt. Caput ipsum Principis ad Michaëlem adlatum, cumque ad ejusdem mandatum truncus quoque illius Albam deportatus fuisset: exequiæ solennes frequenti procerum pompa, imo ipso Michaële Vajvoda comitante, institutæ fuerunt, ac Andreas in eo ipso monumento, quod Balthasari fratri suo ædificandum curaverat, sepultus fuit. Percussores Cardinalis a Michaële præmium nullum obtinuerunt, quin dicitur hunc gravibus exsecrationibus in eosdem invectum esse, quod Principem suum proprium trucidare veriti non fuissent. *Vid. Bethlen.* l. c. *Miles* pag. 242. *Istvánfi* pag. 738.

§. 271.

Michaële Vajvoda hoc modo rerum in Transilvania potito, copiæ ejusdem, ex Valachis, Polonis, Cosacis & Tartaris constantes, omnia cædibus, latrociniis & stupris compleverunt. Ipse vero non solum thesaurum Sigismundi in arce Vécs depositum, verum etiam omnia Nobilium interfectorum bona ad se rapuit. Anno sequenti 1600. ineunte, Michaël legatos ad Rudolphum Cæsarem misit, qui Provinciam eidem offerrent, sibi vero administrationem illius sub clientela Rudolphi paciscerentur. Quibus expeditis, comitia Albam indicta sunt, ad quæ etiam legati Rudolphi advolarunt. Cum vero isti de gratia quidem Imperatoris

ris Vajvodam & verbis & ſcripto certiorem redderent, verum ſimul eidem voluntatem Rudolphi ſignificarent, eo tendentem, ut quantocyus cum exercitu in Transalpinam recederet, & in finibus illius Turcis invigilaret, hic ira percitus non ſolum id ſe facturum pernegavit, verum etiam legatos Cæſaris primum Albæ, dein vero Claudiopoli in cuſtodia detinuit, ac poſt aliquot demum ſeptimanas duro cum reſponſo ad Imperatorem remiſit, mox vero Michaëlem Török, ad Imperatorem Turcarum ablegavit ad confirmationem in Principatu Tranſilvaniæ, ejusque inſignia ab illo ſi fieri poſſet obtinenda. *Vid.* *Iſtvánfi.* pag. 739. *Miles*, pag. 256. *Bethlen.* Lib. X. *pag.* 776.

§. 272.

Sigismundus interea in Polonia hærens cum Cancellario Samoſcio nova de vindicanda Cardinalis cæde, Principatuque Tranſilvaniæ repetendo iniverat conſilia, excitatus a profugis quibusdam illius auxilia implorantibus Tranſilvanis. Hoc igitur fine Ieremiam, Moldaviæ Principem, per miſſos ad eundem legatos eo adduxerat, ut Polonorum ac Turcarum ſublevatus viribus Valachiam irrueret, eamque vacuam copiis facili negotio occuparet. Hoc audito Michaël, primo ſtatim vere cum lectiſſimo exercitu Valachiam repetivit, hoſtemque primo impetu ejectum, altero etiam prœlio vicit, totaque Moldavia eſt potitus. Cum vero Poloni Moldaviam tanquam clientelarem ſibi Provinciam defendere, ac Ieremiæ auxilia ſubmittere non morarentur, Michaëli, Hotinum, quo Ieremias ſe receperat, expugnare non valenti, iterum in Tranſilvaniam recedendum fuit & hic quidem a Rudolpho Imperatore non ſolum pecuniam, verum etiam titulum

Locumtenentis per Tranſilvaniam in ipſis comitiis Altenſibus, menſe Iulio celebratis, recepit. *Vid. Bethlen.* Lib. X. *pag.* 781. *Iſtvánſi* pag. 747. ſequ. *Miles*, pag. 259. *Piaſeccius* pag. 176.

§. 273.

Peractis comitiis confirmationem in Principatu Tranſilvaniæ, a Turcarum etiam Imperatore per legatum ſubmiſſam, *Michaël* Coronæ accepit. Cum vero milites illius impune per Principatum graſſarentur, tantumque aberat, ut Michaël inſolentiam eorundem refrænaret, ut potius Hunyadienſium oppidum, qui ſe Valachis forum publicum diripientibus oppoſuerant, incendio delere juberet: primum multi Nobilium cum uxoribus & liberis patria effugerunt; dein vero alii, Duce Stephano Csàki, Michaelis Tyranni jugum excutere decreverunt, congregatisque Provincialibus ad pagum Miriſzló prope Enyedinum, contra eundem tam feliciter pugnarunt, ut fuga ſalutem quærere, perque viam Sabeſienſem in Valachiam aufugere, theſauros vero ſuos, filiumque pariter ac matrem in victorum poteſtate derelinquere cogeretur. Victoriam hanc inter alia promoverat Georgius Baſta, cui ex Hungaria evocato, proceres Tranſilvani ſummam belli contra Vajvodam gerendi detulerant poteſtatem. Quare proceres Claudiopoli congregati confeſtim legatos ad Rudolphum miſerunt rogantes, ut fratrem *Maximilianum* ad regendum ſubmitteret Principatum, aut ſi id fieri non poſſet, Statibus electionem Principis liberam permitteret, qui Cæſari obſtrictus Provinciam ab interitu vindicaret. *Vid. Bethlen.* Lib. X. pag. 806. ſequ. *Iſtvánſi.* pag. 756.

§. 274.

§. 274.

Legatis istis Pragæ commorantibus, Samoscius
n exercitu Polonorum occupata Transalpina, &
chaële Vajvoda inde quoque fugato, in Transilva-
m irruptionem meditabatur sub prætextu Michaëlis,
sub Alpibus Districtui Hatzegiensi adjacentibus la-
bat, persequendi, cui præventuri proceres Tran-
ani, postquam Basta Germanos suos in Hungariam
ernatum reduxerat, anno sequenti 1601. in comi-
Claudiopolitanis, non exspectato Rudolphi respon-
Sigismundum in patriam revocare decreverunt,
t brevi ante juramentum fidelitatis Georgio Bastæ,
sonam Rudolphi referenti, præstitissent. Sigismun-
itaque Princeps per ablegatos ex Moldavia, ubi
Ieremia Vajvoda detinebatur, clam eductus, sub
em Aprilis in Transilvaniam rediit, & Claudiopo-
ibera electione prægressa, in Transilvaniæ Princi-
n iterum est inauguratus, quo facto legati alii ad
manorum Imperatorem ad deprecandum eundem,
ad Turcarum Sultanum missi fuerunt ad confir-
tionem illius in Principatu expetendam. Et a Tur-
quidem optatam Sigismundus obtinuit responsio-
m; Rudolphus vero Imperator & novos & veteres
os legatos cum indignatione summa Praga confestim
cedere jussit. *Vid. Bethlen.* Lib. X. pag. 824. *Ist-
nfi.* & *Miles* l. c.

§. 275.

Profugus ex Valachia & Transilvania Michaël ad
udolphum Imperatorem se contulit, a quo etiam
enigne exceptus, multis muneribus & ingenti pecu-
iæ summa donatus, ad Bastam missus est, ut com-

muni-

municatis cum eo conſiliis, Tranſilvaniam omnibus viribus recuperare niteretur. Baſta igitur ſub prætextu Michaëlem Vajvodam in Transalpinam reducendi, copias ſuas Heydonibus Hungaris auctas, contra Sigismundum duxit, qui exercitu ex Tranſilvanis, Raſcianis, Moldavis & Tartaris a Turcis ſubmiſſis collecto, die 2. Auguſti, ad pagum Goroſzló eidem obvius factus, die ſequenti infelix cum eodem prœlium commiſit, & a Cæſareanis in fugam actus per Paſſum Rodna in Moldaviam ſe recepit. Quo facto Baſta a Saxonibus de Statu Provinciæ per legatos edoctus, & ad eandem occupandam invitatus, cum copiis ſuis in Tranſilvaniam penetravit, & Claudiopoli magna vi pecuniæ mulctata, ita reliquas etiam perterruit urbes, ut intra breve tempus omnes ad obſequium Cæſaris accederent. *Vid. Bethlen.* Lib. X. pag. 827. ſequ. *Iſtvánfi.* pag. 784. ſequ. *Miles* Lib. cit. Ortel. Ungriſche und Siebenbürgiſche Chronik. *pag.* 452.

§. 276.

Qua licentia milites Baſtæ & Michaëlis in Tranſilvania graſſati fuerint his temporibus, deſcribi omnino nequit. Brevi tamen poſt graves inter utrumque ortæ ſunt diſſenſiones, eousque progreſſæ, ut tandem Michaël ipſum Cæſaris imperium parvi pendere non vereretur. Quare Baſta eundem, cum comitiorum habendorum cauſſa caſtra ad Thordam poſuiſſent, in tentorio ſuo dormientem, per immiſſos quosdam Centuriones die 1. Septembris trucidari curavit, cauſſam prætexens, Michaëlem non tantum nimia in Tranſilvanos crudelitate ſæviiſſe, verum etiam contra ipſum Romanorum Imperatorem Rudolphum conſilia cum Turcis miſcuiſſe. Michaële occiſo caput illius amputatum

tatum equino superimpositum est cadaveri, truncus vero stupendo omnium ludibrio, per biduum expositum jacuit, intra quod omnes Valachi metu perculsi ex Transilvania auffugerunt. *Vid. Istvánfi.* l. c. *Piasecius* pag. 195. *Caspar Ens.* Histor. Hung. *pag.* 424.

§. 277.

Redacta hoc modo sub Cæsaris imperium Transilvania, Sigismundus per *Moysen Szekelium* ad Turcarum auxilia imploranda missum res suas restaurare conatus fuit; mox vero spe omni abjecta, legatos ad Cæsarem veniam illius sibi impetraturos misit. Rudolphus igitur, graviter licet offensus, omnia tamen Sigismundo condonavit, eidemque arcem Lobkovitz, in Bohemia sitam, cum prædiis aliquot, & annua 50000. florenorum pensione obtulit. Quare Sigismundus in conventu Claudiopolitano Provinciam solenniter renunciavit & Georgio Bastæ, Cæsaris nomine gubernandam commisit, Bohemiamque profectus in arce dicta sedem fixit, ubi usque ad annum 1610. tranquillam vitam egit, quo ob novas suspiciones Pragam deductus, & honesto in carcere detentus est, ubi Aô. 1613. die 27. Martii vitam finivit, inconstantissimi animi argumentis commaculatam, & simul etiam Familiam Bathoreorum, de Somlyo nuncupatorum, quam sequens exhibet Tabula:

STEPHA-

STEPHANVS BATHORI de SOMLYO,
Palatinus Regni Hungariæ † 1444. ad Varnam.

Andreas, Cuſtos Coronæ Hungariæ.
Stephanus, Palatinus Hung. & Vajyoda Tranſilv. † 1535.

Emericus, Quæſtor Regni Hung. ſub Rege Matthia † 1535.

Stephanus, Vajyoda Tranſilvaniæ victor Turcarum in Kenyér-Mezö, † 1494.

Stephanus, natus 1533. d. 27. Sept. Princeps Tranſilv. 1571. Rex Polon. 1575. duxit Annam Sigismundi I. Regis Polon. filiam. † 1586. die 13 Decembris.

Chriſtophorus, Princeps Tranſilv. † 1581. d. 24. Maji.

Andreas, Curiæ Magiſter apud R. Iſabellam, † 1575.

Sigismundus Princeps Tranſilv. 1581. duxit Mariam Chriſtiernam, 1595. † 1613. die 27 Martii. Conjux † 1621. d. 6. Aprilis.

Nicolaus, † 1577.

Chriſelidis, Conjux Ioan. Samoſcii Cancellarii Poloniæ. † 1590. die 15. April.

Stephanus, † 1606.

Andreas, Cardinalis † 1599. Pinceps Tranſilv.

Balthaſar, ſtrangulatus 1595.

§. 278.

Inſignia Familiæ Bathoreanæ ſunt tres dentes Draconis, quos alii ungves dicere maluerunt. Conſpicienda illa ſunt in variis Principum ex hac Familia oriundorum numismatibus, quorum illa, quæ *Andreas* Cardinalis, cudi curavit, pro rarioribus habenda. *Vid. Kölöseri* Auraria Dacica *pag.* 136. Dentes illi a Dracone quodam repetuntur, quem prope Etsed, Vidus, ſeu Opos quidam, interſeciſſe dicitur, qui inde familiæ ſuæ nomen Báthor (fortis, ſeu audax) acquiſivit *Vid. Memoires du Prince Rakotzi.* Tom. V. pag. 280. ſeq. *Fabrettus* autem dentes illos ab aquila Legionis XIII. quondam in Dacia commoratæ, quæ transverſos tres dentes, ſeu cornua, conto affixa habuerit, deducere ſtudet. *Vid. Syntagma* illius *de Columna Trajani* p. 41.

§. 279.

Inter numismata his temporibus cuſa, memoratu digniora ſunt:

I. Majoris moduli argenteum quoddam, victo Andrea Cardinali cuſum, quod effigiem Rudolphi II. cum ſolita inſcriptione exhibet; in altera vero parte inſcriptionem habet: VICTORIA DACICA.

II. Minoris moduli aureum Coronæ cuſum, eo tempore, cum Baſta & Michaël Tranſilvaniam affligerent, in cujus parte una, tria capita, conjuncta occipitibus, conſpiciuntur; quorum uni ORIENS. alteri OCCIDENS. & poſtremo DEVS. adſcriptum eſt; circularis vero inſcriptio ita habet: TERRENA CONSIDERES, VT COELICA POSSIDEAS; in averſa vero parte ſequentia leguntur:

ATER-

A TERGO ET FRONTE MALVM, TANDEM DEVS PROPITIARE A. MDCII. FATALI TRANSILVANIÆ.

III. Quadrangulare argenteum Coronæ Michaële Vajvoda profligato & Sigismundo in Tranſilvaniam reduce cuſum, in cujus unica parte aquila Cæſarea & inſignia videntur Coronenſia, cum inſcriptione: SIGIS. mundus TRANS. ET SAC. ROM. IMP. PRINCEPS. in altera vero parte verba leguntur: DEO VINDICE PATRIÆ. 1601. cum circulari inſcriptione: MONETA CIVITATIS CORONENSIS.

IV. Majoris moduli aureum in forma ovali cuſum exhibens effigiem Baſtæ cum inſcriptione: GEORGIVS BASTA, DOMINVS IN SVLT. EQVES AVREI VELLERIS. in averſa vero parte coronam lauream cum tribus ſpicis implicatis, & ſubſcriptione: VALL. acho PROF. ligato SIC. ulo DEV. icto DAC. ia REC. uperata. 1603. inſcriptione circulari ſic habente: S. acræ C. æſareæ M. ajeſtatis AC CATH. olici REG. is HISP. aniarum CON. ſiliarius BEL. licus ET IN TRANS. ilvania CAPIT. aneus GENERAL. is.

§. 280.

Cum Sigismundus Princeps Tranſilvania exceſſiſſet, *Moſes Szekely* cum reliquis Nobilibus arma contra Baſtam capeſſentes ab eodem prope Albam Iuliam vincuntur; quare ii omnes, quibus prœlium pepercerat, ad Turcas effugerunt. Baſta igitur Provincia integra potitus, impune in eadem graſſari non deſtitit eamque tanta cum crudelitate adminiſtravit, ut Status & Ordines anno ſequenti, 1603. Baſta cum copiis in Hun

ungariam evocato, a Rudolpho deficere & *Moyſen* *ekelium* in Principem eligere non vererentur. Conmatus hic eſt a Turcarum Imperatore, qui non tann dignitatis inſignia principalis, verum copias etn illi auxiliares ſubmiſit. His Moyſes adjutus Kaiſebeſum occupavit, mox Claudiopolim, Albam, biniumque deditione cepit; cum vero Coronam ver cum exercitu moveret: in campis urbi ſubjectis, Radulone Valachorum Principe, qui brevi ante, inpoſita jurisjurandi religione, ſocium ſe contra Bae tyrannidem Tranſilvanis fore ſpoponderat, die 22. lii, intempeſta nocte oppreſſus, ac in fugam actus eaque interfectus, ac caput illius obtruncatum conimpoſitum, in veteri Coronenſium ſuburbio ſpectalo expoſitum eſt. *Vid. Iſtvanſi.* pag. 786. ſequ. *aſeccius* & *Ortel.* ad hunc annum.

§. 281.

Ante electionem Moyſis Szekelyi Tranſilvani letos ad Rudolphum Cæſarem, fidem & obſequium dem, Provinciæ nomine præſtituros miſerant. Hi itur novis Tranſilvanorum rebus auditis in diſcrimen tæ delapſi, tandem Praga excedere juſſi fuerunt. Moy vero per Radulonem Cæſaris partes tuentem progato, Tranſilvania Rudolphi nomine per Collegium ecemvirorum ex tribus Nationibus electorum admiſtrata fuit. Interea nova ſemina rebellionis hinc in detecta fuere: quare Baſta, qui in finibus Tranſilniæ Lippam aliaque loca Turcis eripuerat, Tranvaniam ingredi neceſſe habuit, qui ſtatim cives Clauopolitanos gravi iterum mulcta affecit, quod poſt usdem ex Provincia diſceſſum, Ieſuitis ejectis, colleium eorundem funditus diruiſſent, Arianisque tem-

plum brevi antea iisdem ademtum restituissent. *Vid. Istvanfi.* pag. 805. &c. *Ortel.* pag. 346.

§. 282.

Effugerat inter alios cladem Moysi illatam Gabriel Bethlen de Iktár, qui Temesvárinum se contulit, & arma sua suorumque cum Purpurato Bekta, Præfecto Temesváriensi, sociavit, quod apud Transilvanos ubi innotuisset; non solum Capitaneus copiarum generalis declaratus est, verum etiam titulus Principis Transilvaniæ eidem, unico Balthasare Szilvásio contradicente, delatus. Cum vero hunc honorem amplecti recusasset, & Stephano Botskajo lubens concederet, una cum eodem libertatem Patriæ a Georgio Basta oppressam vindicare allaboravit. Initium hujus rei comite Bekta, fecit Aó. 1604. arcem Lippam occupare & viam sibi in Transilvaniam aperire conatus; verum infelici sane successu. Præfecti enim præsidiorum Lippæ commorantium, Henricus du Vallus, Comes Dampierensis Lotharingus, & Ludovicus Rakotzius, per Blasium Lippai, Bethlenium & Bektam ad Temesvárum castra adhuc metantes intempesta nocte aggressi in fugam dederunt. Stephanus interea Botskaj a Transilvanis, evocato licet a Rudolpho Basta, & Iacobo Barbiano eidem substituto, in Principem electus rerum Transilvanicarum potitus erat, Cæsareanosque Provincia excedere coëgerat; quare Bethlen cum 400. equitibus ad eundem se Cassoviam recepit, ab eoque perpetuus Comes Hunyadiensis est renunciatus. *Vid. Istvánfi.* pag. 793. *Piaseccius* pag. 220. & *Ortel.* pag. 364.

§. 283.

Rebus sic stantibus Georgius Basta Aó. 1605. Transilvaniam rursus est ingressus, Botskaiumque profligavit.

vit. Cum vero copiæ illius ob ſtipendia iisdem non ſoluta arreptis ſignis in diverſas partes dilaberentur: menſe Novembri cum paucis reliquis in Hungariam ſecedere neceſſe habuit; quare Botskajus, collectis in Hungaria copiis, Tranſilvaniam iterum eſt ingreſſus, ac in ſolenni conventu Claudiopolitano in Principem ſolenniter inauguratus, ac a Turcarum Imperatore miſſis inſignibus, vexillo, enſe, & clava confirmatus. Cibinium tamen hoc adhuc anno Cæſari addictum fuiſſe, teſtatur Thalerus ibidem cuſus, in cujus parte una effigies Imperatoris, vel potius Aquila Cæſarea, cum inſcriptione videtur: RVDOLPHVS II. D. G. ROM. IMP.&c. in averſa vero parte verba leguntur: SOLI DEO GLORIA, CIVIT. CIBIN. ANNO 1605. circumſcripta inſignibus Civitatis, ex quorum parte una H. ex altera autem monogramma: A H. I. R. cum pileo ſupra impoſito videnda, quorum illud Hechtium Conſulem, hoc vero Albertum Huet, Iudicem Regium indicat, cujus etiam inſigne unicornu nimirum appoſitum cernitur.

Caput III.

Sub Stephano Botskaj, Sigismundo Rakotzi & Gabriele Bathori.

§. 284.

Stephanus Botskaj, ex illuſtri oriundus proſapia, natus fuerat Aō. 1556. & tempore electionis ſuæ dictus: Baro de Kis - Maria. Præfectus autem fuerat Varadienſis & Sigismundi Principis in expeditione Valachica ſtrenuus comes, ac aliquoties ad Aulam Cæſaream Legatus. Ob hæc igitur in Tranſilvaniam merita

notumque ejusdem in Religione Reformata Zelum, Principatus eidem a Statibus & Ordinibus est collatus. Postquam igitur ad hanc dignitatem inauguratus esset: Provinciæ administrationem Sigismundo Rakotzio demandavit, ac sese in Hungariam contulit, ubi statim Protestantes male contenti se eidem submisere, & Turcarum Imperator Coronam ac titulum Regium eidem detulit, quibus tamen nunquam usus est, ceu ex moneta patet aurea, 10. Ducatorum pondus adæquante, in cujus una parte effigies illius cum inscriptione cernitur: STE. BOCHKAI. D. G. HVNGA. TRAN. Q. PRINCEPS, ET SICV. COMES, in aversa autem brachium gladium tenens expressum est, cui scheda inhæret cum inscriptione: PRO DEO ET PATRIA. adscriptum vero est: DVLCE EST PRO PATRIA MORI. 1605.

§. 285.

Anno sequenti 1606. Stephanus Botskaj, secunda ubique fortuna usus, Ieremiæ Vajvodæ Valachiæ, a popularibus suis rebellibus & Polonis infestato, tanquam clienti suo Gabrielem Bethlen cum 6000. hastatorum auxilio misit, qui seditione solo de adventu illius rumore exstincta amplis muneribus donatus rediit. Cæterum fortunæ nimium non fidens & Turcarum technas animadvertens Carponæ in Hungaria comitia ad diem 1. Septembr. indixit, ubi per Legatos, ultro citroque missos, pacificatio tandem cum Rudolpho Imperatore conclusa, in qua hic Stephano Botskaj posterisque illius Transilvaniam, & partes quasdam Regni Hungariæ sub titulo *Principis Transilvaniæ & Domini partium Regni Hungariæ*, administrandam concessit, quam pacificationem brevi post pax etiam Botskajo mediatore inter Romanorum & Turcarum Imperatorem est

inse-

inſecuta. *Vid. Iſtvánſi*. pag. 840. ſequ. *Hiſtor. Diplom.* pag. 18. *Petrus de Reva*, Cent. VI. pag. 781.

§. 286.

Non diu hac felicitate quietæ Tranſilvaniæ poſſeſſionis Botskajo frui licuit, quippe ſub ipſa pacificatione male ſe habere cepit, ac die 29. Decembr. Caſſoviæ anno ætatis 49. nulla prole poſt ſe relicta extinctus eſt, cum ſuſpicione hauſti a Michaële Chatai, Cancellario ſuo, veneni, quem milites prætoriani, Botskajo vix mortuo, ad ſtatuam infamem protractum in minutiſſimas particulas diſſecuerunt. Corpus Stephani anno ſequenti, menſe Aprili Albam translatum, ac in templo Sancti Michaëlis inhumatum eſt, cum inſigni Epitaphio, quod legere eſt apud *Ortelium* pag. 430. *Vid. Iſtv.* pag. 824. *Molleri*, Diſſert. de Tranſilv. §. 19.

§. 287.

Cæterum inſignia familiæ Botskajanæ leonem tribus clivis inſidentem, dextrove pede telum tenentem exhibent, præter quæ in numismatibus hoc tempore cuſis inſignia etiam trium in Tranſilvania Nationum primum viſuntur, nempe *Sol & Luna* Siculorum, *aquila dimidiata* Hungarorum & *ſeptem caſtella* Saxonum ſtemmata, quorum ortum & *Timon* & *Faſchingius* male ad tempora Principis Gabrielis Báthori retulerunt, quippe jam ſub Sigismundo innotuerant. *Vid. Hulſii Levini* Chron. & Mariæ Chriſtiernæ Edicta. Partes Hungariæ Botskajo ab Imperatore conceſſæ fuerunt: Comitatus Szolnok mediocris, Bihar, Arad, Zarand, Krazna, Maramoros & Diſtrictus Kövar, reſpectu quarum Principes Tranſilvaniæ ſe *Dominos partium* Re-

gni Hungariæ appellare consveverunt, quæ al
a Transilvania avulsæ, nunc vero cum eaden
combinatæ *partes reapplicatæ* dici solent. *Vid*
ri Aurar. Dacic. pag. 140. *Histor. Diplom.* pag

§. 288.

Stephanus Botskaj Transilvanis brevi an
tem, ac in Testamento suo pro Principe succel
lentinum de Hommona commendaverat. Proer
Claudiopoli confluentes, *Sigismundum Rákot*
bernatorem Transilvaniæ invitum & reluctant
cipem elegerunt, cui etiam Imperator Turcan
met, flagitata dignitatis insignia eo ipso die tr
quo antecessor illius Albæ humatus fuit. Ho
us autem, spe Principatus potiundi frustratus, S
dum apud Turcas, ob fœdus illius cum Rudo
peratore sub initium statim reginunis initum,
cionem adducere per emissarios suos non
Quare Rakotzi rabiem barbarorum veritus
in quiete finire volens de Principatu abdican
tavit, ac postquam per Cancellarium, Ioanne
Statibus & Ordinibus Transilvaniæ voluntate
aperuisset, convasatis thesauris in Hungariam
Aó. 1608, ubi etiam brevi post in castro Fels
diem obiit supremum. *Vid. Nadányi*, Flor.
pag. 351. *Ortelius*, ad A. 1608. & *Boitinus*, c
Gabrielis Bethlen, Lib. I. in *Mscript.* Exstat l
pore cusus Ducatus decemplex, in cujus parte u
es Sigismundi Rakotzi, cum inscriptione ordin
altera vero Epigraphe cernitur: *Non est c*
neque volentis, sed miserentis Dei, cum ins
circulari: SOLI DEO GLORIA. A. D. MDC

§. 289.

Gabriel Báthori ex altera familiæ Bathorianæ linea de *Bátor* dicta, oriundus, ac forte Andreæ Bátori ex uxore Margaretha Majlath, filius, in tenera ætate utroque orbatus parente, a Stephano Bathori Somlyoino, educatus fuit. Hæres hic ampliſſimarum opum, ope Ioannis Imreffi & Andreæ Nagy, maxime autem Gabrielis Bethlen ad Principatum pervenit. Claudiopoli illum electum ex Etsedo Bethlenius evocavit, prœmiumque laboris obtinuit ſupremum, trium Sedium Siculicalium Csik, Gyergyo & Káſzon Capitaneatum. Confirmatione a Turcis obtenta, juramento ordinario ſe obſtrinxit ad jura & Privilegia Statuum & Ordinum ſarta tectave conſervanda, & pacem cum utroque Imperatore religioſe colendam. Verum brevi poſt Aó. 1609. laſcivum & crudele ingenium ſatis ſuperque prodidit, utque eidem melius indulgere poſſit, clariſſimos ab Aula ſua viros, ne ſcelerum corycei eſſent, amandavit, aliis ad Matthiam II. Romanorum Imperatorem, aliis ad Sigismundum III. Polonorum Regem, fœderum firmandorum gratia miſſis, Gabriele autem Bethlenio ad Achmethem ablegato, pro clava & vexillo Ottomannicæ benevolentiæ ſignis obtinendis. *Vid. Boithin.* l. c. *Nadányi.* Florus Hung. pag. 353. *Töppeltini,* Orig. pag. 221.

§. 290.

Firmata vix cum Matthia Imperatore pace, Gabriel Aó. 1610. diſſidiorum ſtatim anſam præbuit, Nobiles nonnullos in finibus Tranſilvaniæ habitantes, verum ad clientelam Hungariæ ſpectantes, ſub prætextu conſpirationis in vincula conjici jubens. Eodem hoc

anno gravis contra eundem conspiratio detecta fuit, Stephano Kendi, Cancellario, & Balthasare Kornis quorum conjugum pudicitiam læserat, in Szék, Opp do Salisfodina celebri, quo Princeps ad comitia Bistr ciensia iturus diverterat, conflata. Et Kendius quide Szamosujvarinum elapsus, Balthasar autem & Georg us Kornis deprehensi & oppressi sunt, illo in tumult sagitta interfecto, hoc vero Claudiopoli decollate *Vid. Boithin.* l. c. Bethlenius itaque circa idem hc tempus, Constantinopoli redux, in locum Balthasar Kornisii, supremus Aulicæ militiæ Præfectus factu in comitiis Bistricienfibus publicas pro navata opera a cepit gratias, pecuniarum summa grandi ex ærari eidem numerata, arceque Devana insuper donata.

§. 291.

Magnam Bethlenius redux, in corrigendo Pri cipe, lasciviæ & crudelitatis servo, cum reliquis pr ceribus omnino adhibuit operam, verum utplurimu sine fructu positam, quippe anno 1610. inter alia f cinora, per singularem Ioannis Imreffi fraudem, C binium occupavit, pulsisque civibus potioribus, æri oque publico expilato, nefandum in modum ibide pergræcatus est. Ibidem die 22. Decembr. comitia c lebravit, quibus decretum fuit, Magistratum urbis pr ditionis insimulatum, supplicio afficere; intercede tamen Nationis Saxonicæ Universitate, crudele ill decretum mulcta pecuniaria 56000. florenos ascenden redemtum fuit. Quibus exsolutis, armisque civiu omnibus in forum majus comportatis, ac inter milit prætorianos distributis, ipsa vero urbe præsidio Hung rico valido constricta, circa finem anni in Valachia est profectus, unde anno sequenti, 1611. *Radulone*

Vaiv

jvodam, cognomento *Serbán* dictum ejecit, & Ter-viſtiam Sedem Vajvodalem occupavit, Bethlenio ıdulonem, ad *Conſtantinum* Moldaviæ Regulum cum ſauris ſuis fugientem, fruſtra perſequente. *Vid. Boi-n.* 4. c. *Herrmanni.* Annales ad hos annos.

§. 292.

Radulone hoc modo expulſo, Gabriel, Andre-ı Kereſztes, Bannum Lugoſi & Karanſebeſi nuncupa-n, ad Portam Ottomannicam ablegavit, Palatinatum-e Valachiæ ſibi expetiit, verum repulſam paſſus eſt, ælato eidem & in Radulonis locum ſubſtituto altero *ıdulone*, Michnæ ſeu Michaëlis filio, jam diu apud ırtam ſpe ſucceſſionis lactato. Quum igitur hunc Ibra-m Csauſzius juſto cum exercitu Tergoviſtiam du-ret: Bathorius eidem locum fecit, retento tamen ulo Vajvodæ Valachiæ. Serbanus interim à Conſtan-ıo adjutus valido cum exercitu Transalpinam rurſus cupavit, & Radulone, Michnæ filio, in ſuas partes rtracto, ad invadendum Bathorium animum adjecit, oronenſibusque hunc deſerentibus, illum vero invitanti s, Tranſilvaniam eſt ingreſſus. Quare Gabriel conſcri-is celeriter copiis Cibinio movit, ac cum duodecim equi-m, & tribus peditum millibus, Radulonem 7000. uitum & 1500. peditum exercitu ſtipatum, in feſto athedræ Petri Apoſtoli ſacro, ad Coronam eſt aggreſſus, rum ab eodem turpem in fugam actus, amiſſis 6000. ſu-rum, opera Davidis Veyrauch, Iudicis Regii Rupenſis, ibinium incolumis pervenit, Radulone præda inter ilites ſuos diſtributa, patriam repetente. *Vid. aith.* l. c.

§. 293.

Caussam hujus infortunii maxima ex parte fui constat, Andream Nagy, qui a Principe cum Hajc nibus præmissus, multo vero a Coronensibus auro c ruptus, in Hungariam abiverat. Auxit vero calami tem Sigismundus Forgáts, a Matthia cum exercitu Transilvaniam missus, ad proterviam ejusdem in tru dandis Nobilibus quibusdam Hungaris exercitam ul scendam. Hic igitur Claudiopoli primo impetu c cupata, aliisque locis in potestatem redactis, Gabr lem Cibinio elicere frustra tentavit, ac brevi post c piis Turcarum & Tartarorum provincialibus uniti Transilvania excedere necesse habuit. Captivi ejusde derelicti crudelissime a Gabriele habiti fuerunt; Tu cæ vero Tartarique ad sua remeantes, in præmiu præstiti auxilii, ex sola Siculia ad 12000. hominum in captivitatem duxisse feruntur. *Vid. Nadányi* Flor Hung. pag. 353. *Ortelius* ad hunc annum. *Töppeltius* pag. 228.

§. 294.

Bathorius periculo liberatus, Saxonum civitat variis technis occupare tentavit. Media fraudulenter o cupata, præsidiarios, quibus libertatem jurejurando pr miserat, contra datam fidem in vinculis retinuit, im nonnullos eorum in fines Turcarum ad mercatum misi Schæsburgum cum capere non posset, Aõ. 1612. arm ta manu in Barciam venit, cumque Coronam aggre non auderet, oppida & pagos vexavit. Coronenses ig tur ex consilio Michaëlis Veiss, Prætoris Civitatensis, m litem conscripserunt, & auxiliis a Vajvoda Valachi obtentis, ad Mariæburgum stativa habuerunt, ubi B thore

thoreo abſente a copiis ejusdem in Barcia relictis, ex improviſo oppreſſi, in fugam verſi, ipſique Duces Michaël Veiſs, & Georgius Heltner, prope Veidenbachium interfecti ſunt. Illius caput abſciſſum, ad Principem delatum, utriusque vero cadaver canibus objectum legitur in Annalibus *Mſcript.* Quo facto Tyrannus cum Cibinienſibus crudelius agere cœpit, civibus fugatis, Senatuve & Centumviris, poſtquam ad 70. florenorum millia exſolviſſent, ac omnia ſua pretioſa eidem extradidiſſent, curiæ incluſis, nefandum in modum omnes pudicitiæ leges migravit. *Vid. Boithin.* l. c. & *Herrmanni.* Annales ad hunc annum.

§. 295.

His calamitatibus preſſi Saxones, Ioannem Benkner, Corona ad Turcarum Imperatorem; Schæsburgo autem Valentinum Bökeſch, ad Aulam Cæſaris Romanorum expediverant, ad auxilia contra Tyrannum expetenda. Et hinc quidem parum præſidii promiſſum, Conſtantinopoli vero Aö. 1613. Legatus ad Bathoreum venit cum mandato Sultani, ut relicto Cibinio, Saxonibus reliqua etiam loca occupata redderet, inque ſuam ordinariam ſedem ſe reciperet. Princeps igitur menſe Iunio, conventum Statuum & Ordinum Cibinium indixit, ibidemque omnia componere eſt conatus. Durantibus vero his comitiis ex Moldavia & Valachia ad mandatum Imperatoris Turcarum exercitus ingens per Barciam, ex alia vero parte Gabriel Bethlen per Portam ferream magna Turcarum manu ſtipatus, Tranſilvaniam eſt ingreſſus. Quare Bathoreus clandeſtino itinere Varadinum ſe recepit, ubi brevi poſt, a Georgio Ladányi & Ioanne Szilágyi, extra ſuburbium

carpento

carpento vectus, die 17, Octobr. eſt trucidatus. *Vid. Boithin.* l. c. *Herrmanni*. Annales ad hunc annum.

§. 296.

Corpus Gabrielis Báthori Etsedum transportatum, ibidemque humatum eſt. Tyrannis vero ejusdem a *Londorpio*, in Actis Publicis, *Tom.* I. *pag.* 145. *Ortel.* part. II. pag. 38. ſequ. *Töppeltino*, pag. 228. ſequ. fuſius deſcripta reperitur. Numismata durante ejus Principatu cuſa exſtantiora ſunt:

a.) Thalerus Cibinii cuſus, inſignia Tranſilvaniæ cum inſcriptione exhibens: GABRIEL D. G. &c. in averſa vero parte: PRO PATRIA ARIS ET FOCIS. 1611.

b.) Thalerus alter, & Ducatus decemplex Coronæ cuſus, in cujus parte una, corona laurea triumphalis inſcriptionem ambit: ILLE IN EQVIS ET CVRRIBVS. In altera parte verò, inſignia Coronenſium cernuntur, cum inſcriptione: NOS IN NOM. ine DOM. ini CONFIDIMVS. 1612. Oppoſitum hoc numisma

c.) Decemplici Ducato, quem Princeps Coronam oppreſſurus cudi fecerat, in cujus parte una, effigies illius, ſolita cum inſcriptione, in altera vero eques, ſub ejusque pedibus urbs Corona videtur.

d.) Ducatus Coronæ cuſus inſignia exhibens civitatis, cum inſcriptione: DEVS PROTECTOR NOSTER. In averſa vero parte, Patronam Hungariæ cum anno, 1613.

Caput.

Caput IV.

Sub Principibus Bethleniis.

§. 297.

Gabriel Bethlen de *Iktár*, vir magnanimus, pacati tamen ingenii; ex illuſtri familia natus, muneribusque publicis, & militaribus, & politicis bene adminiſtratis, clarus, morte Bathorii comperta, in comitiis, quæ Sultani ablegatus Claudiopoli coëgerat, in Principem Tranſilvaniæ electus, articulis ſubſcripſit quibusdam a Statibus & Ordinibus eidem exhibitis, ſeſeque ad fortalitia Saxonibus reſtituenda, omnium vero Nationum Privilegia ſarta tectaque conſervanda, obligavit. Evacuatio Cibinii promiſſionibus his conformiter inſecuta eſt, Aô. 1614. die 18. Febr. Eodem hoc anno comitia Mediæ celebrata fuerunt, in quibus occiſores Bathorei, ferocius ſeſe gerentes, a militibus prætorianis, qui eos adorti fuerant, eo adacti ſunt, ut ſeſe in turrim, templo Xenodochiali adſtructam reciperent, unde tamen poſt virilem reſiſtentiam, ex pergula præcipites acti, & ab excipientibus in fruſta diſſecati fuerunt. *Vid. Ortelius*, & *Gradelenius*, ad hunc annum. *Nadányi*, in Floro Hung. pag. 354.

§. 298.

Annis proxime ſequentibus, halcyonia Tranſilvani egerunt ſub Principe, boni publici ſtudioſiſſimo, qui exorto bello Bohemico, ab Hungaris excitatus, Aô. 1619. arreptis ſignis, Caſſoviam profectus, comitiisque ibidem celebratis, omnes fere Hungariæ ſuperioris Comitatus a Ferdinando II. alienavit, indeque

in

in Inferiorem Hungariam penetrans, Posoniumque admissus, ipsa Regni Hungariæ insignia cœpit, imo anno sequenti, 1620. eo rem perduxit ut in comitiis Cassoviensibus, Princeps Hungariæ, & brevi post in Neosolensibus, in Regem Hungariæ proclamaretur. Tanta tamen Princeps mediis hisce in successibus abstinentia fuit, ut licet honorem oblatum recusare non posset, ac in numismatibus electum Hungariæ Regem sese scriberet, inaugurari tamen se non pateretur, cum tamen insignia Regni in manibus ejusdem essent. *Vid. Ortel.* ad hunc annum. *Nadányi*, pag. 360. *Theatr. Europ.* Tom. I. pag. 292.

§. 299.

Felicem Bethlenius Aó. 1621. porro habuit armorum successum. Cum vero interea novus Bohemorum Rex, Fridericus, ad Pragam fusus esset, & Hungari ob eam rem vacillare inciperent; missis ad Cæsarem legatis de pace agere cœpit, quæ etiam anno sequenti Niclasburgi, iis sub conditionibus fuit sancita, ut Bethlenius, insignibus Regiis Cæsari restitutis, Regio titulo abstineret, & Principis Transilvaniæ ac S. R. Imperii titulo contentus, septem Comitatus Hungariæ Transilvaniæ vicinos retineret, Ducatumque Oppaviæ & Ratiboriæ in Silesia cum summa 80000. florenor. annuatim obtinenda, ad dies vitæ possideret. *Vid. Ortelius*, ad hunc annum. *Khevenhüller*, apud Belium.

§. 300.

Pax ista durationis longæ non fuit, Bethlenius enim a Principibus Germaniæ, Bohemorum partes sequentibus, instigatus, persecutionibusque protestantium in Hungaria & Silesia lacessitus, Aó. 1623. Turcis in societa-

cietatem adſcitis, rurſus arma cepit, cauſſisque belli publico ſcripto expoſitis, magno cum exercitu Hungariam invaſit, qua peragrata in Moraviam & Auſtriam usque penetravit. Cum vero Turcæ & Tartari ulterius progredi detrectarent, & promiſſa a Principibus Germaniæ auxilia fruſtra exſpectata eſſent, Aó. 1624. Viennæ nova pacificatio inſecuta eſt, in qua Bethlenius, titulo Principis Imperii & Ducatibus Sileſiacis renunciavit, reliquæ autem pacis prioris conditiones de novo fuerunt confirmatæ. *Vid. Theatr Europ.* l. c. *Ortel.* & *Gradelen.* Chron. ad hunc annum. *Khevenhüller*, apud Belium.

§. 301.

Gabriel Bethlen, Suſanna Karoli prima conjuge demortua, Aó. 1626. Caſſoviæ, Catharinam e domo Brandeburgica oriundam, uxorem duxit. Nuptiis vero Regio apparatu celebratis, ex iisdem cauſſis, quæ antea ad bellum redintegrandum eundem compulerant, pacem denuo rupit, Turcis Hungariam pariter vaſtantibus. Quum vero res minus ex voto ſuccederent: pax cum Cæſare, Aó. 1627. Poſonii iterum ſtabilita fuit. Quo facto Princeps dira per longinquum temporis ſpatium vexatus Podagra, in hydropem demum eſt delapſus, cui mederi volens, mortem ſibi, Aó. 1629. die 15. Novemb. acceleravit, ætatis annum agens XLIX. cum eodem anno Heidelberga, Alſtedium, Piſcatorem & Biſterfeldium Profeſſores ad Collegium Albenſe, ab ipſo inſtitutum dirigendum evocaſſet, cui etiam conſervando 47000. florenos, teſtamento legavit. *Vid. Timon.* ad hunc Annum, *Ortelius*, *Gradelen.* Theat. Europ. &c. item *Huſzti Diſſert. de Tribus Gymnaſiis celebrioribus in Tranſilvania Reformatis.*

§. 302.

Insignia familiæ Bethlenianæ constituunt grues duæ (quas alii cygnos, alii anseres sylvestres nominare solent) per quarum colla telum transit. Videnda hæc sunt in numismatibus sub Principe Gabriele cusis ordinariis, quibus adnumerari merentur.

I. Numisma aureum & argenteum, quod Cibinii sub electione illius cusum est, in cujus una parte verba leguntur: VERA SALVS CHRISTVS TVA SCEPTRA SALVTE CORONET. 1613. in altera vero: ET FERAT AVSPICIIS PROSPERA VELA TVIS.

II. Ducatus decemplex, Aō. 1616. cusus in cujus una parte effigies Bethlenii, in altera vero brachium cernitur gladio Coronam perforans, in scheda vero volante verba leguntur: CONSILIO FIRMATA DEI. cum inscriptione circulari: DOMINVS ILLVMINATIO MEA ET SALVS MEA, QVEM TIMEBO 1616. *Vid. Kölöseri* Aurar. pag. 144.

§. 303.

Bethlenio defuncto, *Catharina* Principissa ejusdem derelicta, omnium Ordinum consensu, eidem in regimine Transilvaniæ successit, Sultanique obtinuit confirmationem. Et præfuit quidem illa Principatui, una cum Stephano Gabrielis fratre, Gubernatore. Brevi tamen post proceres imperium fœmineum fastidire cœperunt, præsertim cum eam ad catholicorum partes inclinare sentirent, comperissentque ipsam amore Csakii captam, in eundem regimen transferre velle, Imperatorisque Turcarum ad id consensum aucupari.

Comitiis

Comitiis igitur Mediam indictis de hac re consilia agitare coeperunt; cum vero in varias scinderentur partes, parum abfuit, ut gladiis inter sese decertarent, quare Catharina turbis cedere satius duxit, annoque sequenti, 1630. in comitiis Claudiopolitanis, Principatu sese abdicavit, & ditiones testamento sibi relictas adivit. *Vid. Ioann. Bethlenii*, Rerum Transilv. Lib. I. pag. 6. 7. *Nadanyi*, Cap. XVIII.

§. 304.

Partibus ratione successoris substituendi in diversa abeuntibus, aliis Csákium, a Catharina commendatum, aliis Stephanum, Gabrielis fratrem, aliis denique Georgium Rakotzium, & nobilitate & opibus praepollentem, spectantibus, Stephanus Gubernator a quibusdam Ordinibus pro Principe fuit declaratus. Quum vero iste de Principatu adipiscendo desperans, filium & generum suum, Davidem Zolyomi de Albis, ad Rakotzium Patakini haerentem invitandum, antea jam ablegasset: hic Varadinum numeroso stipatus comitatu venit, Aõ. 1631. magnis largitionibus promissionibusque datis, chirographis confirmatis, suffragia procerum captans, eo rem perduxit, ut in comitiis Schaesburgum indictis, commendante eum Catharinae legato, Ioanne Kemény, & cedente etiam Stephano Bethlen Gubernatore, in Principem Transilvaniae eligeretur. Quo facto Georgius Rakotzius Varadino derelicto Albam petiit, solemnique ritu in Principem assumtus, juramentum deposuit. *Vid. Ioann. Bethlen*, L. cit. pag. 7. sequ.

Caput V.

Sub Rakotziis, Francisco Rhedei, Achatio Bartsaj ac Ioanne Kemény, imperii æmulis.

§. 305.

Male electionem *Georgii Rakotzii* in Principem Tranſilvaniæ tulit Imperator Germanorum. Ac forte illius juſſu Nic[illegible]Eſzterházi, Palatinus, litteris ad Rakotzium dati[illegible]ab inſtituto eundem retrahere tentavit. Cum vero Rakotzius dure eidem reſpondiſſet, à verbis ad arma ventum eſt, & Palatinus a Rakotzianis ad Tibiſcum in fugam verſus. Cæſar autem, Turcas quum ſciret Hungariam invaſuros, Rakotzii electionem demum ratam habuit. Confirmatus hoc modo Rakotzius, non ſolum Catharinæ arcem Munkats æque ac Fogaraſinum ademit, verum etiam Davidem Zolyomum, rebellionis excitandæ ſuſpectum, Kövarinum in captivitatem miſit, ubi annis 18. miſere exactis vitam finire neceſſe habuit, nec meliori forſan Stephanus Bethlen, Gubernatoris filius natu major, fato uſurus fuiſſet, niſi illud, præfeſtina morte Etsedi exſtinctus, præveniſſet. *Vid. Ioann. Bethlen.* Lib. cit.

§. 306.

Sequentibus annis proximis, concordia inter Principem & Gubernatorem Stephanum Bethlen, perduravit. Quum autem Aó. 1635. Petrus Bethlen filius hujus natu minor, adminiſtratorem quendam bonorum ad mortem usque ob delictum aliquod verberari curaſſet, & pater Stephanus, demortui parentem placare allaboravit: huic a Principe Georgio, compoſitio omnis amicabi-

cabilis interdicta eſt, volente nimirum, ut Petrus ſecundum rigorem legis tanquam homicida puniatur. Stephanus itaque vitæ filii conſulturus eundem clam in arcem Etsed eduxit, ipſe vero Budam ſe conferens legatos Conſtantinopolim ablegavit, Turcarum auxilia contra Principem imploraturus. Quum igitur Præfectus Budenſis mandata a Turcarum Imperatore accepiſſet, ad Bethlenium armata manu in Tranſilvaniam reducendum: Princeps reconciliatione fruſtra tentata, apud Szalonta eſt congreſſus, multisve utrinque cæſis, amicitia inter Bethlenium & Principem tandem cum pace reſtituta. *Vid. Bethlen*, Lib. I. pag. 20.

§. 307.

Amicitia inter diſſidentes hoc modo quoad externa ſaltem compoſita, Princeps Georgius magna cum auctoritate regnavit, potentioribus quippe proceribus defunctis, multisque Nobilium bonis quovis modo occupatis, imo theſauro, quem Gabriel Bethlen partim ad erectionem Collegii Albenſis, partim ad extraordinarias Regni neceſſitates ſublevandas legaverat, ſuis opibus adnumerato. Præterea vero notatu dignum ſubſequentibus annis, quid acciderit non reperitur, usque ad annum 1640. Quum enim Ferdinando II. Imperatore demortuo, Proteſtantes Hungari apud ſucceſſorem illius Ferdinandum III. de ejectis paſtoribus, ademtisve templis ſuis fruſtra conqueſti ad Rakotzium confugiſſent, hic vero ſcripto pro illis intercedens, omnia procraſtinari cerneret: tandem ad arma capienda hoc anno animum induxit, ad quæ jam antea capeſſenda a Germanis & Bohemis, præcipue vero legato Svecico fuerat excitatus. Antequam tamen illa vibraret, Aó. 1642. filium *Georgium*, in ſucceſſorem eligi

& inaugurari curavit, eique anno sequenti, 1643. die 3. Febr. Sophiam de Bathori, in matrimonium dedit. *Vid. Theatr. Europ.* Tom. II. pag. 599. sequ. *Puffendorff*, de Rebus Svecicis, Lib. X. *Ortelius*, *Gradelenius*, *Timon* ad hos annos.

§. 308.

Eodem hoc anno Georgius Princeps, fœdus cum Svecis iniit, caussisque arripiendorum armorum scripto publico manifestatis, anno sequenti 1644. valido cum exercitu Hungariam irruit, ubi superioris illius partis Comitatus tantum non omnes sese eidem junxere. Obviam ei profectus Eszterhàzius aliquoties feliciter contra Rakotzianos dimicavit, justo prœlio vero decernens, in fugam actus est. Sequenti anno 1645. Princeps Rakotzius Svecis, qui in Moraviam usque penetraverant, exercitum suum junxit, Brunnave, majori Transilvanorum, quam Svecorum clade, Duce Sigismundo, filio natu minore, incassum oppugnata, pacem cum Romanorum Imperatore his conditionibus fecit, ut sibi posterisque suis, arces Tokaj & Regetz in Hungaria traderentur, protestantibus vero 90. templa ademta restituerentur. *Vid. Ortelius* Part. II. pag. 137. *Gradelen.* ad hunc Annum. *Ioann. Bethlen*, Lib. I. pag. 23. 24.

§. 309.

Annus sequens 1646. Cibiniensibus fatalis fuit; quum enim cives ob imputatum Senatori Colomanno Gottsmeister illicitum amorem, & commissum ab ejus uxore duplex adulterium, per Magistratum, uti prætendebant, justitiam haud administratam, delictaque pro demerito punita non esse asserentes, tumultum

um excitassent: Princeps Georgius, toti civitati jam antea varias ob rationes infensus, semet huic caussæ, stimulante præsertim Michaële Agnethler Iudice Regio, immisit, ac Magistratum cum civibus infidelitatis & rebellionis inculpavit, arreptoque hoc prætextu, quatuor pagos ad possessionem civitatis nobilitarem pertinentes, via facti non solum occupavit, verum etiam mulctam pecuniariam 10000. florenorum exigere nitebatur. Quæ infensi Principis ira, nonnisi Vniversitatis Nationis Saxonicæ interpositione mediante placari demum potuit. Eodem hoc anno, Princeps filium suum primogenitum egregio comitatu stipatum, ad spectandam Ferdinandi IV. coronationem Pragam misit, peculiares vero legatos ad comitia Posoniensia caussam religionis acturos expedivit. At hi quidem magnis pollicitationibus dimissi fuerunt; quum vero Cæsar iisdem stare detrectaret, non solum novum exercitum domi comparavit, verum etiam de renovando cum Svecis foedere cogitavit, eoque ipso effecit, ut multa protestantibus in Hungaria templa restituerentur. Quo facto copias suas ex finibus Hungariæ retraxit, imo Imperatori Romanorum, 7000. Germanorum militum, quos suis stipendiis aluerat, pro parato pretio obtulit, ac 20. quos nobiliores dono misit. *Vid. Histor. Hung. Diplom. Herrmanni* Annales Mscripti *Ortelius* l. c.

§. 310.

Principes Transilvaniæ tributi loco ad Portam Ottomannicam annuos 15000. Ducatos ante Gabrielem Bethlenium solvere consveverant; huic vero 5000. ob fidelissimum obsequium Turcis præstitum, remissi fuerant, cujus ad exemplum Georgius etiam Rakotzius, plures ad hoc usque tempus ut solveret, adigi non

poterat. Quum itaque Amurathes Imperator h no 1646. solutionem residuorum 5000. Duc acriter urgeret, Princeps vero, Ordinibus in svade tibus, per sacrosanctam Trinitatem jura id facturum negaret: non modo legati ejusdem stantinopoli in carcerem conjecti sunt; verum bellum illi a Turcis est indictum. Hujus tu anno sequenti 1647. morte Imperatoris in belloque Turcis a Persa indicto, feliciter fuit tus. Accidit præterea eodem hoc anno, ut La Rex Poloniæ moreretur; quare Georgius ad vacuefactum occupandum adspiravit. Quod di ditaretur morbo implicitus obiit die 24. Oct Albæ Iuliæ, summa cum pompa est sepultus. *Vi schitzius* in Tabella Ducum Hungar. pag. 170. *Bethlen*, Lib. I. pag. 27.

§. 311.

Parenti successit filius *Georgius Rakotzi II.* te sexennium in successorem designatus. Natus Aõ. 1621. & a scriptoribus illorum temporum egregius, rerumque maximarum cupidus præ Primi regiminis ejus anni in pace transacti, in Aõ. 1651. Sigismundus frater illius, Henriettam derici Electoris Palatini filiam in matrimonium quam post 5. menses demortuam, ipse quoque est sequutus. Anno 1653. contentio per *Ba* Vajvodam Moldaviæ (ignoratur quibus de cau exorta; hæc quum in apertum erumperet, Georgius Vajvodam, misso contra eundem Ioa ményio, exturbavit. Postquam vero Basilius a adjutus, Keményio ejecto, Provinciam recup Rakotzius novo sub Stephano Petki submisso,

Cosacos fudit, thesauris Basilii, ac Moldavia integra potitus, Stephanum Cancellarium, Vajvodam constituit, qui brevi post, ingenti summa pecuniæ persoluta, Portæ Ottomannicæ in Principatu obtinuit confirmationem. *Vid. Ioann. Bethlen*, Lib. II. pag. 32.

§. 312.

Anno sequenti, 1654. *Constantinus*, Valachiæ Princeps a rebellibus Semeniis, seu prætorianis suis ex Bulgaris & Thracibus collectis, in vincula conjectus fuerat. At illi quidem, proceribus Regni occisis complurimis, unum solummodo ad capessendum imperium vi adegerunt. Quare Rakotzius anno sequenti, 1655. ipsa cum manu copiarum Valachiam est ingressus ad scelus nefarium ulciscendum. Parum vero abfuit, ne a Semeniis ex improviso eum aggredientibus opprimeretur. Quum autem vino plerique obruti essent, Rakotziove aciem instruendi copiam facerent; maxima eorundem pars sine negotio cæsa, reliqui in fugam acti fuerunt. Quo facto Constantinus, qui custodia lapsus ad Principem Moldaviæ Stephanum aufugerat, cum hoc sequenti die ad Rakotzium venit, ab eoque in Principatum est restitutus. *Vid. Bethlen*, Lib. II. sect. I. pag. 33.

§. 313.

Eodem hoc anno, Rakotzius filium suum *Franciscum*, undecennem in successorem eligi curavit. Mense autem Augusti legatus Caroli Gustavi, Sveciæ Regis, Albam venit, Rakotziumque ad societatem armorum contra Polonos capessendorum invitavit. Poloni harum rerum conscii, anno sequenti, 1656. ubi Sveci victricia jam per Poloniam arma circumferrent,

Georgium pariter in suas partes trahere conabantur, eique aut Regium solium, si religionem mutaret, aut 13. Oppida in finibus Transsilvaniæ sita, in æternum illi cedenda promittebant. Ast Princeps fœdere cum Svecis inito, ad bellum contra Polonos se accinxit, cumque a proposito nec Turcarum, nec Tartarorum minitationibus, nec Ferdinandi Imperatoris, nec procerum Transsilvaniæ consiliis, abduci posset: mense Ianuarii anni sequentis cum exercitu 50000. armatorum, Poloniam est ingressus, & primo quidem impetu diversa loca occupavit, imo ipsam Cracoviam cepit. Quum vero postea Dani irruptione in Sveciam facta, Carolum ad sua revocarent, Georgius solus relictus ab hostibus ita misere ex omni parte vexatus est, ut totum exercitum per loca deserta errantem, fameque confectum, omni cum apparatu bellico amitteret, & vix 1000. armatis stipatus, in Transsilvaniam rediret, reliquis in Polonia sub Duce Keményio, a Tartaris vel cæsis, vel captis, nulla pacis, quam Rakotzius cum Polonis iniquissimis sub conditionibus iniverat, habita ratione. *Vid. Bethlen*, Lib. II. Sect. II. pag. 37. sequ. *de Simeonibus*, pag. 7. sequ. *Terlonii*, Memoires pag. 25.

§. 314.

Rakotzio in Transsilvaniam reduce facto, legati a Porta Ottomannica advolarunt, litteras adportantes ad Status Regni exaratas, quibus iisdem serio injunctum erat, atrocibus superadditis, nisi parerent, minis, ut quantocyus in locum Principis rebellis & inobedientis, alium eligerent, cujus confirmatio gratis subsecutura promittebatur. Iidem legati *Franciscum Rhedei* in Principem præ aliis commendarunt; hic vero

ro cum Ordinibus ipſis per litteras & legatos remotionem Rakotzii eſt deprecatus. Quod quum ſucceſſu careret, Rakotzius comitiis Albam convocatis, ſponte Regno ceſſit; ea tamen cum conditione, ut, ſi gratiam Portæ Ottomannicæ recuperare poſſet, ad dignitatem principalem rurſus admitteretur. Quo facto *Franciſcus Rhedei*, Princeps Tranſilvaniæ eſt electus, Rakotzius vero in privata ſua bona ſeceſſit. *Vid. Bethlen*, Lib. II. Sect. IV. pag. 43. ſequ.

§. 315.

Franciſcus Rhedei, Comes in Maramoros, vir pius & mitis, in Principem Tranſilvaniæ in ipſis comitiis, in quibus Rakotzius Principatu ſe abdicavit, eſt electus. Et licet hic Chirographo exhibito, ſtipulatus eſſet, ſeſe niſi gratiam Imperatoris Turcarum recuperare poſſet, rebus Tranſilvanicis non immiſturum, ejus tamen inſtinctu factum eſt, ut præſidiarii in Varadino, Ienö & Szamosujvár juramentum Franciſco denegarent. Turcæ itaque huic adſiſtentes arcem Ienö ſunt aggreſſi ad reluctantes compeſcendum. Rakotzius vero promisſorum immemor, litteris in Tranſilvaniam miſſis, Ordines requiſivit, ut ſibi contra Turcas auxilia ferant, ſeſeque ipſorum legitimum Principem eſſe ne obliviſcantur. Franciſcus his compertis comitia Mediam indicavit, in quibus dum alii huic, alii illi adhærerent: Rakotzius ex improviſo cum exercitu advolavit, urbemque obſidione cinxit. Neceſſitate itaque cogente, ad transactionem eſt deventum, Franciſcoque Rhedei ſine altercatione ſolio Priucipali decedente, Rakotzius reſtitutus. Vixit Rhedeius poſthæc vitam quietam ac privatam, Principatumque poſt aliquot annos iterum ſibi oblatum, conſtanter recuſavit. Annus ejus-

nibus, quibus Franciſcus Redeius brevi antea, in Principem Tranſilvaniæ eſt auguratus, ut nempe, ſi fors Rakotzius gratiam Turcarum recuperare poſſet, dignitate adepta, ſe iterum abdicaret, officiove Gubernatoris Tranſilvaniæ & Comitis Hunyadienſis, quo tunc fungebatur, contentus maneret. Quo facto Tranſilvania, menſe Octobr. a Turcis & Tartaris miſere vexata aliquantisper requievit, quippe qui fines ejusdem tandem deſeruere, multa tamen millia Tranſilvanorum in captivitatem ſecum abduxerunt. *Vid. Bethlen*, loc. cit. *Diarium Europ*, ad Annum 1661. pag. 91. *Comminazzius* in Vita Leopoldi Part. I. pag. 88. ſequ. *Memoires du Comte Bethlen Niclas*, pag. 188. ſequ.

§. 318.

Anno ſequenti, 1659. Bartsaius apud Portam Ottomannicam Præfectum Temesvárienſem & Principem Valachiæ *Michne* accuſavit, quod occultum cum Rakotzio, Principatum invitis Turcis affectante, contra ſeſe fœdus iniviſſent. Rakotzius his commotus, opibus & favore multorum in Tranſilvania procerum fultus, hanc armatus intravit, Bartsaiumque Devam ſeſe recipere coëgit. Hic evocatus a Turcis, Temesvarinum per Portam ferream fugit, miſſoque ad Imperatorem Turcarum legato, auxilia contra Rakotzium, qui dignitatem principalem rurſus ſibi aſſeruerat, efflagitavit ac obtinuit. Bartsaio Turcico exercitu ſtipato Tranſilvaniam repetenti, Rakotzius ad Portam ferream occurrit, quum vero victus recedere cogeretur, ſocietate cum Principe Valachiæ inita, collectoque rurſus valido exercitu, Tranſilvaniam repetiit, tantumve Turcis metum incuſſit, ut ſub prætextu hybernorum adeundorum in Hungariam recederent, Bartsai-

usque cum præsidio 1500. militum, Cibinium se conferre, Rakotziique obsidionem per totam hyemem pati necesse haberet. *Vid. Bethlen*, Lib. II. Sect. 10: sequ.

§. 319.

Duravit hæc obsidio primis quoque mensibus, anni 1660. in ejusque memoriam duo numismata cusa; primum apud Cibinienses octangulare aureum, quatuor Ducatis æquiponderans, in cujus una parte conspiciuntur ordinaria Nationum & Principis insignia adjecto anno 1660. Inscriptio vero circularis hæc est:

ACHATIVS BARCSAI D. G. P. T. PA. RE. HV. DO. SI. CO. in altera vero in tribus laterculis, quos tres circuli formant, sequentia leguntur, in medio nimirum: DEVS PROVIDEBIT. in extremis autem: SVB RAKOTZIANA OPPRESSIONE REGNI TRANSILVANIÆ ET OBSIDIONE CIBINIENSI.

Alterum nummum argenteum majoris moduli Coronenses fieri curarunt, in cujus una parte insignia Transilvaniæ & Principis cum inscriptione solita cernuntur: in altera vero, in meditullio scriptum est: SERVA NOS, QVIA PERIMVS, sub quibus verbis insigne Coronensium & annus 1660. videntur, inscriptio autem circularis hæc est: DE PROFVNDIS CLAMAMVS AD TE DOMINE.

§. 320.

Durante hac obsidione, Rakotzius mœnia Cibiniensia primum ab orientali, dein ab occidentali parte ex quinque tormentis, dirigente Colonello, Gaudio

dio, fruſtra verberavit, ac præterea minis æque ac promiſſionibus, Barcsaium ad traditionem urbis compellere eſt conatus. Quum vero appropinquante vere exercitus Turcarum ex Hungaria in Tranſilvaniam irrumperet, Rakotzius ſoluta obſidione, eisdem obviam movit, manuque cum illis ad Claudiopolim inter pagos Gyalu & Fènes, conſerta, die 9. Maji, fortiter pugnans, multitudini graviter vulneratus cedere neceſſe habuit, ſuisque diſperſis, Varadinum abductus, ibidemque die 27. Maji mortuus eſt, anno ætatis 39. Corpus ejusdem Etsedum deportatum, ibidemque ſolemni ritu ſepultum. Nuncio hujus victoriæ Sultanum tantopere lætatum eſſe fertur, ut Adrianopoli, ubi eundem acceperat, feſtum celebraret, in quo 4000. captivi chriſtiani, & totidem capita cæſorum ex iisdem, haſtis ſuperimpoſita circumducta fuerunt. *Diarium Europ.* ad Annum 1660. pag. 202. *Bethlen.* L. cit. Lib. II. Sect. 28. ſeq. *Vagner* in Vita Leopoldi, pag. 75.

§. 321.

Familia Rakotziana a Rakosfalva, loco Hungariæ, cui fluviolus a cancris notus nomen dedit, denominatur. Inſignia ejusdem conſtituunt clivi tres, quibus rota dimidiata ſuperimpoſita, & cui iterum aquila coronata expanſis alis, dextra frameam geſtans inſiſtit, videnda in Thaleris & Ducatis Principum ex hac familia oriundorum. Brevem Genealogiæ illius, quantum ad hiſtoriam pertinet, adumbrationem, ſequens Tabula exhibebit:

GEORGIVS

GEORGIVS.

Sigismundus Rakotzi. P. T. 1607.

Georgius, I. P. T. 1630. † 1648. die 24. Octobr.

Georgius, II. P. T. 1648. † 1660. die 27. Maji.

Sigismundus, † 1652.

Franciscus, I. nat. 1644. † 1681. uxor, *Helena*, Comitis Petri Zerini filia.

Franciscus II. † 1735. uxor, *Charlotta Amalia*, Principissa Hassiæ.

Iuliana, nupta Comiti d' Aspremont † 1717.

Iosephus, nat. 1699. † 1739.

Franciscus, nat. 1701. d. 8. August. uxorem duxit in Gallia, 1732. *March. de Bethunt.*

§. 322.

Rakotzio sublato, Bartsaius Cibinio egressus, cum suis, & Turcarum copiis ad Varadinum obsidendum est profectus. Durante obsidione captivus a Turcis est detentus, vel ob inconstantiam ejusdem, vel ne eo volente illa facta videretur. Varadino a Turcis occupato Transilvaniam repetiit, novis ibi motibus ansam præbens. Dum enim in obsidione Varadiensi arresto detineretur, litteris Provinciales requisiverat, ut Keményi consiliis & opera usi, auxilia ab Hungaris efflagitarent, quod etiam ita factum erat. Bartsaius vero libertate recuperata, Ordinibus regni legationem exprobavit, quasi se inscio factam, eoque ipso multos præcipue Siculos, jam dudum illi infensos, ad rebellionem excitavit. Transiverunt hi, copiis ex

Hungaria quæ advolarant juncti, ad Kemènyium, qui Bartsaium ab omnibus fere derelictum in arce Görgöny, quo ſe receperat obſedit. Quum vero fide data, Princeps ad colloquium in curia ſub arce ſita inſtituendum exiviſſet, ibidemque ſcripto, ad Ordines exarato, homagiali fide illos liberos declaraſſet: brevi poſt *Kemènyius* in conventu in oppido Régen celebrato, unanimi conſenſu in Principem Tranſilvaniæ eſt electus. *Vid. Bethlen.* Lib. III. Sect. 1. ſequ. *Gradelen* & *Timon*, ad Annum 1660. *Gualdi Priorati*, Vita di Leopoldo, Tom. II. pag. 92.

§. 323.

Ioannes Kemèny, nobiliſſima ex familia oriundus, Rakotzii II. in Polonia militantis ſupremus copiarum Præfectus, eaque occaſione in captivitatem a Tartaris abductus, poſt biennium demum ingenti lytro redemtus fuerat. Electus hic, ut dictum eſt, in Principem Tranſilvaniæ primum ad Imperatorem Turcarum legatum miſit, confirmationem ab eodem obtenturus. Quum vero hæc legatio eventu felici deſtitueretur, anno ſequenti, 1661. Leopoldi tutelam & auxilium imploravit. Hoc factum Kemènyi, Bartsaio ad novas res moliendas anſam præbuit, ut nimirum cum Turcis de ejiciendo illo tractaret. Quibus Keményius compertis, non ſolum in comitiis Biſtricii & paulo poſt Mediæ celebratis, graviter de Bartsaio eſt conqueſtus, verum etiam ſub ſpecie amicæ venationis eundem ex Caſtello Görgény in ſilvam ad pagum Repa excivit, ubi poſt breve colloquium a ſatellibus Keményi multis vulneribus, die 12. Maji eſt confoſſus, frater vero illius Andreas, Fogaraſini ſuſpendio vitam finire coactus. Inſignia familiæ hujus originem a Bartsa, in Comi-

Comitatu Hunyadienſi repetentis, conſtituit brachium incurvum telo transfixum coronæ innitens gladiumque tenens, in numismatibus ſupra allegatis videnda. *Vid. Bethlen.* Lib. III. Sect. 13. ſequ. *Ortelius* ac *Gradelenius*, ad Annum 1661.

§. 324.

Dum hæc agerentur, interea auxilia Turcica Bartsaio ſubmiſſa finibus Tranſilvaniæ imminuerunt, & partem quidem illorum, Keményius auxiliis Germanicis, ſub Duce Montecuculi obtentis, fortiter rejecit. Quum vero menſe Novembr. Ali Baſſa, ingenti cum exercitu Turcico Tranſilvaniam irrueret, novique Principis electionem Ordinibus Regni demandaret, Keményio cum ſuis copiis ad partes Hungariæ retrocedendum fuit. Quo facto dignitas principalis præcipuis Magnatum, qui ad Ali-Baſſam evocati convenerant, oblata fuit, quibus eandem acceptare recuſantibus, ſvaſu Saxonum, *Michaël Apaſi*, Ebesfalva evocatus, Váſárhelyini in Principem electus & in generalibus Regni comitiis Kis-Schelkinum ad diem 20. Novembr. hujus anni 1661. indictis ſolenni ritu inauguratus eſt. *Vid. Bethlen.* Lib. III. Sect. 20. *Töppeltin.* in *Origin.* pag. 630. ſequ. Quod quum Montecuculi reſciviſſet, copias ſuas fame & itineribus confectas, in Hungariam reduxit, 1000. circiter peditibus Keményio præſidii loco relictis, qui in urbibus Hungariæ vicinis ſubſtitere.

§. 325.

Omnes metu compellente, Tranſilvaniæ Ordines, quum *Apaſium* Principem agnoſcerent, ſoli Siculi naturæ regionis ſuæ fiſi, facere illud detrectarunt atque

eo ipſo

eo ipso sibi suisque perniciem accelerarunt. Missa enim ad eos compescendos ab Ali - Bassa copiæ binis quidem vicibus ad claustra Siculiæ rejectæ fuerunt, quum vero demum per eadem irrupissent, omnia flamma & ferro devastarunt. Circa finem anni, Ali-Bassa copias suas versus Temesvárinum in hyberna deduxit, 2000. solummodo Turcis Apafio præsidii loco relictis. Quum hoc Keményius resciviſſet, mox anno sequenti, 1661. ineunte, cum 5000. suorum & 3000. equitum Germanorum, die 3. Ianuar. in Transilvaniam irrupit, Apafiumque Principem, qui se Media Schæsburgum contulerat, nulla tempestatis ratione habita obsedit. Interea dum inter utrumque Principem legati de pace componenda hinc inde mitterentur, Turcarum auxilia advolarunt, castraque Keményii die 23. Ianuar. ad pagum Nagy - Szőlős adorti, in fugam, Germanis frustra resistentibus, eundem conjecerunt, in qua ab equis contritus, caput vero ejusdem ad Apafium, & ab hoc ad Sultanum perlatum fuit. *Vid. Bethlen*, Lib. III. Sect. 18. *de Simeonibus*, l. c. pag. 129. *Vagner*, in Vita Leopoldi, pag. 101. seq.

§. 326.

Keményio devicto ac interemto, copiæ Cæsareanæ, relicto hosti in prædam omni suo bellico apparatu, in ea loca sese receperunt, quæ a commilitonibus, uti supra dictum est, præsidio tenebantur. Ceterum insignia familiæ Keményianæ ab antiquis temporibus ad hucdum florentis, constituit cervus ex corona prorumpens, quem *Kölöseri* in *Auraria Romano-Dacica*. pag. 146. palmatum seu rangiferum esse dicit. Videnda illa sunt in nummis aureis, æque ac argen-

teis, minoris majorisque moduli sub hoc Principe cusis, qui ob breve quo Principatu functus est temporis spatium merito inter rariores numerantur.

Caput VI.

Sub duobus Apafiis.

§. 327.

Michaël Apafi ex nobili, non tamen adeo illustri familia oriundus fuit, ut Genealogiæ per omnia fidendum sit, quam invenimus in *Notis Historicis Hamburgensibus*, ad Annum 1701. pag. 33. sequ. suppeditatæ, quam ex illis tradidit *Lentzius*, Parte, VIII. *Societatis examinatoriæ Halensis*. Vir hic mitis natura ingenii, diuturna, quam apud Tartaros passus erat, captivitate, quietis amantissimus factus fuit, æmulo sublato, Imperatorem Germanorum imploravit, ut præsidia sua ex Transilvania evocaret, ne Turcis nova Transilvaniam vexandi ansa præberetur. Quum vero legatus illius re infecta rediisset, Keményiique asseclæ Apafium Principem cognoscere detrectarent: Kutzuk Bassa nomine Sultani eidem imperavit, ut loca præsidiis Germanorum occupata armata manu aggrederetur. Quo facto Fogarás & Deva cum aliis quibusdam locis, ultro se dedidere, Szathmár vero, Kövár, Szamosujvár, Claudiopolis & Bethlen obsidionem exspectarunt. Et Claudiopolis quidem primum obsessa, fortiter sese defendit, usque dum auxilia Duce Schneidau, ab Imperatore submissa advolarent, quibus Apafius & Kutzuk Bassa, sublatis castris Thordam regredi cogebantur. *Vid. Bethlen*, Lib. III. Sect. 33. *Diarium Europ.* ad hunc Annum, pag. 576.

§. 328.

§. 328.

Turcæ hoc modo repressi Transilvaniam immaniter hoc & sequenti anno 1663. expilarunt. Princeps igitur Apafius per litteras & legatos apud Sultanum de interitu patriæ lamentatus, mandata demum ad Kutzuk-Bassam a Porta Ottomannica data extorsit, quibus Transilvania excedere jubebatur. Ac initio quidem hoc is facere abnuit, priusquam Apafius cum parato exercitu Turcis sese adjunxisset; quum vero hoc fieri non posset, tandem demum Transilvania excessit, quam aliquot annos devastaverat. Auxerunt miseriam Provinciæ copiæ Tartarorum ad exercitum Turcicum hoc anno per Transilvaniam contra Romanorum Imperatorem decurrentes, qui licet popularium neminem in captivitatem abducerent, vestigia tamen devastationis ubivis reliquerunt, populationes solitas tanquam in hostico exercentes. Præsidia interea Cæsarea in locis Transilvaniæ quibusdam usque ad mensem Novemb. permanserunt, quo ob non soluta stipendia rebellarunt & depulsis Officialibus, Apafio sese commiserunt, qui milites vestibus & nummis donatos suis adnumerare non cessavit. *Vid. Bethlen*, Lib. IV. Sect. 1. sequ. *de Simeonibus*, l. c. pag. 515.

§. 329.

Quum Turcæ Aô. 1664. postquam diu Hungariam impune devastassent, demum ad St. Gotthardum, auspiciis & virtute Comitis Montecuculi, ad internecionem, amisso omni apparatu bellico, devicti essent: pax tandem sequenti anno inter Imperatores Occidentis & Orientis, 20. annos duratura, stabilita fuit. Inter conditiones illius quædam etiam Transil-

vaniam respexere; quippe articulo quodam cautum fuit, ut omnes ad Provinciam in partibus Hungariæ spectantes arces ac fortalitia, præsidiis Germanicis adhuc detenta, Principi Apafio restituerentur. Tranquilla post hæc tempora Transilvanis evenere, nec aliud quidquam proximo decennio memoratu dignum accidit, quam turbæ & machinationes Pauli Bèldi, quæ & auctori & multis aliis perniciem accelerarunt, & sequenti paragrapho exponentur.

§. 330.

Paulus nimirum Béldius, Siculorum procerum facile princeps, nobilibus in suas partes pertractis, Principatum affectavit. Dionysium vero Bánfium, Principis affinem nobilissima familia oriundum, obstare sibi cum videret, proditionis eundem apud Apafium insimulare non destitit, usque hic eundem in arce Bethlen, per Gabrielem Csáki e medio sustulisset. Bánfio sublato, Béldius Principem tyrannidis apud Siculos accusavit, & largissimis promissionibus cum sibi plerosque eorundem devinxisset, per legatos apud Sultanum, Principem Apafium facti cum Leopoldo fœderis aliorumque facinorum accusatum, dignitate privare, sibique eandem vindicare est conatus. Turcarum Imperator, remissis Béldii litteris, conjurationem Apafio detexit, qui confestim rebelles aggressus arces eorum expugnavit, soloque æquavit. Et Beldius quidem Constantinopolim aufugit; hic vero statim in carcerem conjectus misere periit, similemque fere exitum socii ejusdem habuere. *Vid. Nicolaus Bethlen* in *Memorialibus suis*, pag. 322. sequ.

§. 331.

Anno sequenti 1675. Michaël Apafi loca quædam in Partibus Hungariæ sita, Kalo Szathmàr, Tokai &c. quæ jure devolutionis a Principe Rakotzio ad Transilvaniam spectare putabat, armata Imperatori manu eripere tentavit. Et primo quidem impetu copias quasdam Cæsareas rejecit; appropinquante vero hyeme re infecta, ac Szathmári præcipue obsidione in vanum tentata, domum redire est coactus. Sequentibus Apafius quievit annis, usque dum Hungari male contenti, & Turcæ cum Leopoldo bellum renovarunt. Anno igitur 1682. Apafius, Emerico Tököli rebellium antesignano sese adjungens, Hungariam irruit, variaque ibidem loca occupavit, cum antea filium *Michaëlem*, quinquennem in successorem suum eligi curasset, eique sex Consiliarios reipublicæ curam, Principe absente, habituros adjunxisset. *Vid. Histoire du Comte Emeric. Tököli*, & *Vagner* in Vita Leopoldi, ad Annum cit.

§. 332.

Continuatum est bellum male contentorum sequentibus etiam annis, ac Turcæ quidem eidem sese immiscentes expugnatis locis quibusdam eousque audacia sunt progressi, ut Aó. 1683. Viennam ipsam obsidere non vererentur. Quum vero hinc turpiter repulsi essent, & victor exercitus Cæsareus eosdem per totam Hungariam hoc & sequenti anno reprimeret: male contentorum multi, spretis Tökölii comminationibus, gratiam Cæsaris efflagitarunt & obtinuerunt. Apafius vero non solum copias suas a Turcis & Tökölio retraxit, verum etiam Aó. 1685. Cæ-

§. 335.

Eodem hoc Aō. 1690. Michaël Apafi die 15. April. Fogarásini, diem suum obiit, pompa in honorem ejus exsequialis instituta est ibidem anno demum sequenti, die 16. Febr. oratoris munus obeunte M. Isaaco Zabanio, Pastore Ecclesiæ Saxonicæ Orbacensis. Post hoc tempus corpus illius exsangve Malomkerekinum deductum est, ubi in hodiernum usque diem in sacrario templi Evangelici dicitur asservari. Ex Anna, filia Pauli Bornemissa, militiæ aulicæ Præfecti, complures suscepit liberos, ex quibus præcipue memorabilis, qui parente supervixit *Michael*, natus Aō. 1676. tutelæ commendatus Magni Leopoldi & moderationi Georgii Bánfi, Georgii Bethlen, militum Præfecti, & Nicolai de Bethlen, Cancellarii. Genealogiam Apafiorum ex posteris Regis Aba, deductam legas in libello, cui titulus: Hamburgische *Remarque* auf das Jahr 1701. den 1. *Februarii*, pag. 33. seq. Confr. *Sam.* Lenzens historisch-genealogische Untersuchung der Fürsten in Siebenbürgen, dritter Abschnitt §. 7. 2c. und VIIItes Stuck der prüfenden Gesellschaft in Halle pag. 671. Numisma aureum in honorem Apafii cusum extat in *Joachimi* Münz-Cabinet, Tab. XXXIX. in qua insignia familiæ Apafianæ videnda. Vitam vero suam ipse Apafius idiomate vernaculo descripsit, quæ in *Mscripto* superest, sub titulo: *Vehiculum Vitæ Michaelis Apafi*, cui jungendum aliud *Mscriptum* a *Michaële Cserei* elaboratum sub titulo: *Vera & genuina Transilvaniæ Historia &c.* Nobis sufficiat Gentem Apafiorum recentiorem inde a proavo Michaëlis I. deductam, adposuisse:

GREGORIUS APAFI.
Aulæ præfectus Ioannis II. & Isabellæ.

Nicolaus. uxor *Margaretha Orbaj*, relicta Valentini Török. — *Leonhardus.* — *Balthasar.*

(Children of Nicolaus:) *Franciscus.* — *Georgius*, uxor, *Barbara Petki*, filia Ioannis Petki, Cancellarii.

(Children of Georgius:) *Georg. Balthas. Nicol. Francisc. Cathar. Anna. Christina. Stephan. Margar. Elisab. Michaël I. P. T.* natus 1622. vel 32. uxor, *Anna Bornemissa*, filia Pauli Bornemissæ, † 1690. die 13. April.

(Children of Michaël I.:) *Maria. Gregorius. Georgius. Maria. Susanna. Franciscus. Eva. Michaël II.*

§. 335.

§. 336.

Morte Apafii varia animos Statuum Ordinumque Transilvaniæ commotio incessit. Non deerant, qui Imperii Germanici pertæsi in partes *Emerici Tököli* inclinabant; plurimi tamen *Iuniorem Apafium*, successorem patris jam pridem declaratum, cum consensu Aulæ Cæsareæ in Principem proclamatum cupiebant. Interea vero, cum Transilvani voluntatis Magni Leopoldi expositionem præstolantur, Tökölius Turcarum & Tartarorum valida manu stipatus, in provinciam irruit, Telekium & Heislerum cum Germanicis & Provincialibus Transilvanorum copiis sibi occurrentem, ad Castrum Törtsvár cædit, Duceque Hungaro interemto, Germanum, Supremum militiæ Cæsareæ in Transilvania Præfectum, captivum tenet. Hac victoria inflatus Rebellis per Barciam Cibinium usque penetravit, seque in Insula christiana (Großaue) vico, unico fere milliari Metropoli distante, a complicibus perduellionis in Principem Transilvaniæ creari fecit. Neque tamen comica hac dignitate, ut diu frueretur, passus est Ludovicus Badensis; quia sine mora cum lecta manu, frustra reluctante Petrotzio Duce Tököliano, Provinciam ingressus, Rebellium antesignanum ubique vestigat, prœliumque caute detrectantem, mense Octobr. Transilvania deserta in Valachiam aufugere cogit. *Vid. Vita Comitis Emerici Tököli*, gallice conscripta, & *Relatio* de ejusdem Comitis factis anglico idiomate conscripta. *Timon.* Continuat. ad Annum citat.

§. 337.

Ludovicus Marchio Badensis, Viennam repetiturus, urbes Transilvaniæ præsidiis necessariis munivit, Supre-

Supremumque Militiæ in hac Provincia Præfectum conſtituit, Comitem *Fridericum* de *Veterani*, cujus vigilantia effectum eſt, ut Tökölius Aõ. 1691. Tranſilvaniæ invaſionem repetitis vicibus fruſtra tentaret. Ipse vero Ludovicus die 9. Auguſti hujus anni potentiam Turcorum ad Petri Varadinum cruento prœlio fregit. Placuit tandem Leopoldo Imperatori, Statibus Ordinibusque Tranſilvaniæ die 4. Decembr. anni ſæpe dicti, ſacro Diplomate Clementiſſimam ſuam exponere propenſionem; quæ eo rediit, ut confirmatio *junioris Apafii* in Principatu, ob ætatem minorennem differatur, interea vero adminiſtratio regiminis Collegio Duodecimvirali, ſeu *Gubernio Regio*, ex XII. Conſiliariis eorumque Præſide conſtanti, deferatur. Gratioſa hæc reſolutio anno ſequenti effectum ſortita eſt, Guberniumque die 9. April. ſtabilitum, præſidio illius Comiti, *Georgio Bánfi* collato. *Vid. Compendium Hiſtor. Diplomat.* annexum pag. 24. ſequ. *Kemény de Iure ſucced. Dom. Auſtr.* pag. 124. *Timon*, ad Annum cit.

§. 338.

Eodem hoc Aõ. 1692. fortuna armis Cæſareis favit, ut Varadinum virtute Heisleri Ducis, ſuperiori anno a Tökölio libertate donati, barbaris eriperetur. Pari ſucceſſu anno ſequenti, 1693. Ienö & Világosvár a noſtris Duce Siegeberto Heiſtero occupatum eſt, Turcis, præter frequentes velitationes, nihil memoria dignum auſis; niſi eo referamus, cædes & rapinas, quibus Tartari e Moldavia irruentes, Tranſilvaniam noſtram ac Sedes præſertim Siculicas devaſtarunt, & hoc impune quidem, quia celeritate uſi prius pedem retulerunt, quam Duci Veteranio pœnas ab illis promeritas ſumere licuiſſet. Cæterum *Magnus Leopoldus*,

eodem anno per Clementissimam Resolutionem die 9. Maji, Statuum Ordinumque Provinciæ ablegato, Petro Alvintzi, exhibitam, variaque alia prægressa & subsecuta Decreta, paternam porro luculentissime exposuit intentionem, tranquillitatem & salutem publicam, quibus posset modis promovendi, confirmatione tamen Principis Apafii denuo ad complementum annorum viginti prudenter dilata. *Vid. Compend. Histor. Transilv.* in *Histor. Diplom.* pag. 28. sequ. itemque *Continuat. Timon.* ad Annum cit. nec non *Decreta Cæsareo-Regia* die 7. 14. & 29. April. die 18. Maji, & 5. Octobr. emanata.

§. 339.

In Hungaria, Aõ. 1694. exercitus uterque & Cæsareus & Turcicus, ad Petrivaradinum intra castra hæsit, neque ullo in patentibus campis prœlio decertavit. Ex Transilvania vero Apafius ad aulam evocabatur, neque defuerunt, qui id eo consilio factum esse dicerent, ut ei fœmina Princeps Germanica stirpe oriunda, in matrimonium offeratur. Quum vero is, non salutato protectore suo Augusto, *Catharinam* prius, filiam Generalis sui Georgii Bethlen, sibi in consortem thalami adoptasset, ac dein una cum Comite Veterani iter Viennam suscepisset: evenit, ut per breve admodum tempus in aula Cæsarea detentus, absque ullo singularis gratiæ documento, iterum ad suos dimitteretur. *Vid. Kemény* de *Iure succedend. Dom. Austriac..* Cap. I. §. 76. pag. 126.

§. 340.

Bellum in Hungaria, Aõ. 1695. majori impetu utrinque gestum est, dispari vero cum fortuna; Fridericus

dericus enim Auguſtus, Elector Saxoniæ, qui Cæſareo, cum Comite Aenea Caprara, præerat exercitui, impedire haud potuit, ne Turcæ Lippam brevi temporis ſpatio expugnarent. Veteranius autem Dux belli multis omnino nominibus illuſtris, a multitudine barbarorum, ad Karanſebes (alii Lugoſium ponunt) circumventus & obrutus, amiſſis 4000. ſuorum, tribusque vulneribus acceptis, occubuit. Quo facto, Dux Saxoniæ equeſtrem exercitus ſui partem in Tranſilvaniam deducere juſſus eſt, tum hyberna eidem commoda procuraturus, tum vero ipſam Provinciam in obſequio & fidelitate Imperatoris retenturus, ut loquitur *Continuator Timonis*, ad Annum citat. Ad inſtantiam tandem Cancellarii, Nicolai de Bethlen, Clementiſſimus Monarcha pro intertentione copiarum dictarum ex XV. legionibus conſtantium, centum millia florenorum ſubmittenda promiſit, ac alia centum millia in Provinciis hæreditariis eisdem exſolvenda aſſignavit, tenore Reſcripti die 20. Decembr. anni memorati emanati. *Confr. Kemény*, l. c. Characterem animi Comitis Veterani delineavit *Rinkius*, in Vita Leopoldi, pag. 204.

§. 341.

Anno inſequenti 1696. Friedericus Elector, exercitum Cæſareum 10000. copiarum ſuarum auxiliarium auxit & Temesvárinum tribus vicibus, infelici tamen ſucceſſu oppugnavit; tandem ad Olaſch ancipiti prœlio cum Turcis decertavit. Contra ea, Comes Adamus Battyáni, Croatiæ Banus, & ipſe aliquot Sclavoniæ arces Caroloſtadio adſitas barbaris eripuit, & miſſo in Bosniam, Simone Forgátsio, complura loca, non modica hoſtium ſtrage, evertit. *Vid. Continuat. Iſtvánfii Lib. 69. Series Banor. Sclav.* pag. 202. *Contin.*

Timon.

Timon. ad Annum cit. Ex Transilvania nostra Apafius in aulam Cæsaris evocatus est, qui, tum quod regimini Provinciæ decenter obeundo impar omnino esset, tum quod bonum id publicum requireret, ne Regio ista porro Eridos pomum maneret, singulari transactione Principatu se abdicavit, pactis 12000. florenis annuatim eidem ab Imperatore exsolvendis, qua summa mediante, vitam Viennæ in obscuritate agendam ad annum usque 1713. sustentavit, quo die 1. Febr. curriculum ejusdem infelicius clausit, relicta conjuge improli, quæ ibidem, 1725. die 4. Ianuar. vivere desiit. *Vid. Kemény* de *Successr. Dom. Austr.* Cap. 1. §. 77. pag. 127. Insignia familiæ Apafianæ fuerunt Galea panicula ornata, quam ensis perforat, insistit illa viti, cujus rami & uvæ eandem obumbrant. *Vide* numismata sub Principe Apaffi I. cusa, apud *Schmeitzelium* & *Ioachim.* &c.

§. 342.

Feliciori anno 1697. successu bellum contra Turcas a Cæsareis gestum fuit, Ducibus Principe, Eugenio de Sabaudia, & Rabutinio, Comite de Bussy. Prior enim barbaros die 1. Septembr. ad Szentam, Tibiscum superare ac Transilvaniam invadere volentes, ad internecionem devicit, & victricia in Bosniam transferens arma, hostibus iterum disjectis, Serajliam urbem ditissimam diripuit, aliasque arces occupavit & præsidiis munivit. Rabutinius autem Vipalankam, fortalitium noviter a Turcis in commodum communicationis urbium, Temesvár & Belgrad erectum, expugnavit & demoliri jussit. Dum interea tertius Leopoldi Armorum Præfectus, Dux Vaudemontius, Regionem Eszekiensem & Quinque Ecclesiensem

prædoni

prædonibus, a quibus mirum in modum infeſtabantur, feliciter purgaret, primipilis eorundem, Perla capto, & promeritis ſuppliciis adfecto, altero vero, Franciſco Tokajo ad Onodinum devicto & profligato. *Vid. Continuat. Timon.* ad Annum cit. *Kemény*, §. 78. pag. 128. ſequ.

§. 343.

His cladibus fracti Turcæ pacem flagitabant, ac anno quidem 1698. menſe Majo, induciæ factæ præcurſores ejusdem exſtitere; anno vero ſequenti, die 26. Ianuar. Carlovitzii in Syrmio inſtrumentum ipſum pacis, inter Auguſtum Leopoldum & barbarorum Sultanum, Muſtapham Han, per annos continuos 25. duraturæ, ſubſcriptum eſt, cujus Articulus primus de patria noſtra ſic habet: *Regio Tranſilvaniæ quemadmodum de præſenti eſt in poſſeſſione & poteſtate Cæſareæ Majeſtatis, ita maneat in ejusdem dominio,* & a Podoliæ confinio usque ad extremum Valachiæ confinium, ſuis montibus, qui antiqui fuerunt limites ante præſens bellum inter Tranſilvaniam ex una parte, & Moldaviam ex alia parte, atque a confinio Valachiæ usque ad flumen Maruſium, pariter ſuis montibus, qui antiqui fuerunt limites, circumſcribatur. *Vid. Acerra Politic.* Francof. 1711. impreſſa, *pag.* 143.

§. 344.

Ejusdem Inſtrumenti Articulo decimo cautum fuit, ut Hungari & Tranſilvani, qui durante bello a ſubjectione Suæ Cæſareæ Majeſtatis ſecedentes ad confinia, ſeu in ditiones Excelſi Imperii Ottomannici ſe receperint, ibidem ad lubitum locentur, nec illis a

ſubjectione ejusdem in poſterum recedere liceat. Hujus ſtatuti vigore factum eſt, ut rebellis ille famoſus, *Emericus Tököli*, cum aliis perduellionis ſuæ ſociis, quam multis, in Turcia reſideret, ubi etiam in Aſia ad Nicomedienſem Bithyniæ ſinum in ſuo Florum campo, Aõ. 1705. die 13. Septembr. ætatis anno 47. vivere deſiit, teſte inſcriptione, quam curioſus ille memorabilium Hungaricorum collector, æque ac ſcrutator, Samuel Székely de Doba, imagini Comitis prædicti a pictore ejusdem ad vivum delineatæ, poni curavit, quæ viſenda eſt in *Tuſculano Szekélyiano*, in ſuburbio Eperieſienſi ſito, prout nos certiores fecerunt amici Avtoptæ omnium & ſingularum in eo reconditarum antiquitatis reliquiarum.

§. 345.

Supereſſe dicuntur auſuum temerariorum Tököli, numismatica etiam quædam monumenta, in quibus Ludovicus XIV. Rex Galliæ & Navarræ, ſimul Patronus & protector, Emericus vero Tököli, *Princeps & partium Regni Hungariæ Dominus* vocitatus reperiatur. Id quod ex *Tollii*, Epiſtol. itiner. retulit, *Matth. Belius*, Tom. IV. *Notitia Hungar. Novæ*, pag. 191. item *Paul. Conrad. Balthas. Han*, im Alt und Neuen Pannonien, *pag.* 476. Confr. Das verwirrte Königreich Ungarn, *pag.* 232. At magis veritatem expreſſit Inventor alius numismatis aurei forma ovo ſimili cuſi. In prima ejus area Buſtum conſpicias Comitis perduellis cum inscriptione: EMERIC. TOCKELI. HVNGAROR. REBELL. CAPVT. In altera vero illius parte videnda eſt aquila, quæ hominem Vngarum gladium dextra tenentem, ex ſcopulo, cui

coro-

ōrona imposita est, deturbat, & canis ad pedem nontis, cadentem excepturus, cum perigraphe: RE-TRO CADIT AVDAX. Hujus numini memorialis utographum inter alia cimelia Dominus Székely de Doba possidet, supra a nobis laudatus. *Szegedi* in *Rubr. juris Hungar.* Part. III. pag. 224. not. *b.* al-erius numismatis mentionem facit, quod Tököliu, montanis civitatibus potitus, cudi fecerit, cum inscri-ptione: *Pro Deo & patria.*

Sectio IIda.

Transilvaniam sistit sub Principibus e Serenissima Domo Austriaca ortis, ab anno 1699. usque 1763.

Caput I.

DE TRANSILVANIA SVB MAGNO LEOPOLDO.

---

§. 346.

Finis seculi XVII. memoria dignus est Transil-vanis, ob felicem illam Epocham Regiminis Princi-pum Austriacorum, cui, Deo clementer dirigente, pa-ria restauratum tranquillitatis & salutis publicæ sta-tum, grato animo acceptum ferre tenetur. Periodum hanc, recentissima tempora complectentem, IV. capi-tibus distinctam exponere jubent totidem gloriosi Transilvaniæ Principes, excelso stemmate Habsburgi-

eo orti; Magnus nimirum, famaque ſuper æthera clarus LEOPOLDVS, bini ejus filii & ſucceſſores, IOSEPHVS & CAROLVS, ac quæ hodie Matris patriæ nomine & factis immortalitatem Auguſto ſuo Sceptro parat, magno avo par Nepos, Imperatrix Romanorum, Hungariæ Regina, Tranſilvaniæ Princeps, MARIA THERESIA.

§. 347.

Halcyonia Vngariæ & Tranſilvaniæ per pacem Carlovicenſem reſtituta, feliciſſimorum miſeris illarum incolis ſpem fecerat conſectariorum. Sed eheu! vanam eandem mox reddere connabatur *Franciſcus Rakotzius*, Georgii II. Tranſilvaniæ quondam Principis ex Franciſco filio, nepos. Hic enim ditionibus, quas in Hungaria ſatis amplas poſſidebat, minime contentus, neque exemplo parentis, qui Aõ. 1666. conſpirationis cum Franciſco Veſſelenyio, Petro Serinio & aliis initæ, ſupplicia vix effugerat, meliora edoctus, bello de ſucceſſione Hiſpanica exorto, artibus Gallorum, Aõ. 1700. circumventus, novas turbas meditabatur, inter quas ad principalis in Tranſilvania & partibus Hungariæ dignitatis faſtigium, eluctari poſſet. Detexit nefaria illius, reliquorumve perduellionis complicum, quorum Nicolaus Berecsenius Comes anteſignanus fuit, conſilia, familiaris quidam Rakotzii, Gallus, cui nomen *Longueval*, quippe qui in commercio litterarum, quod inter Galliæ Regem & rebelles intercedebat, tabellarii munere fungebatur. Quare juſſu Leopoldi, Aõ. 1701. Rakotzius, una cum Protonotario Sirmajo, & Adamo Vayo, comprehenſus ac Neapolim Auſtriæ in cuſtodiam deductus eſt, Berecsenio horum conſcio, in Poloniam aufugiente. Hunc

anno

anno ſeqüenti ipſe eo ſecutus eſt Rakotzius, opera Centurionis, Godofredi Lehmanni, de Lehensfeld, Pomerani e Legione deſultoria Caſtellana, die 5. Novembr. ejusdem anni e cuſtodia elapſus. Hinc mox litteris in Hungariam miſſis, claſſicum quaſi cecinit, aſſeclas ſuos ad arma undique corripienda convocaturus. *Vid. Timon continuat.* ad Annum citat. *Kemény*, §. 128. ſequ. *Memoires du Prince Rakotzi*, quarum ipſe Auctor fuiſſe dicitur.

§. 348.

Rakotzius anno ſequenti per judicium delegatum ab Imperatore inſtitutum, cauſſa ejus examinata & cognita, capitis ſupplicio adficiendus damnatur, & bona illius omnia fiſco applicantur. Nihil tamen his commotus Rebellis menſe Iunio in Hungariam penetravit, Manifeſtum die 5. Iunii edidit, & per ditionem Munkatsienſem, duobus armatorum millibus ſtipatus, circumvolitans, majores in dies vires collegit. Monetam hac occaſione cuſam deſcribit *Belius* Tom. IV. *pag.* 192. lit. *b.* Profligatus tamen a Duce Montecuculi, ægre periculum novæ captivitatis evaſit. Berecsenio vero e Polonia ſubveniente, ac Kæsmarkinum & Leutſchoviam absque magno labore obtinente, Ocskaio etiam a Cæſare ad rebelles transeunte, & Levam in Hungaria inferiori ſitam occupante: incendium in dies latius fuſum eſt, magnamque Hungariæ, quin ipſius Tranſilvaniæ noſtræ partem corripuit, maxime, ubi Berecsenius in Comitatu Maramoroſienſi copioſum militem ſub ſigna collegiſſet, ejusque opera arces, Huſztenſem & Munkátſienſem, imo brevi poſt Kővárinum etiam ſibi ſubjeciſſet, ac montanas etiam Civitates, fugiente Schlikio Duce, menſe Novembr. ſub poteſtatem

Rakotzii reduxisset. *Vid. Continuat. Timon.* ad Annum 1703. *Belii*, Notit. Reg. Hungar. Nov. *Tom.* IV. *pag.* 600. sequ.

§. 349.

Posthæc de componendis dissidiis consilia agitata sunt, conventusque Schemnitzii eo fine institutus, interventu Legatorum Regis Angliæ & Borussiæ, item ordinum præpotentum fœderati Belgii. Quoniam vero Rakotziani, Gallorum promissionibus pertinaciores redditi, insolentes plane urgebant conditiones: conatus hi omnes, ad Novembr. usque anni 1704. continuati, irriti fuerunt. Quare bellum in Hungaria ferventius in dies gestum est, maxime ubi Comes Simon Forgàts, ob Ioannem Pálfium, Bannatui Croatiæ admotum, æque ac Comes Alexander Caroli, ob bona sua a Rakotzianis devastata, a fide Cæsaris defecissent, seseque rebellibus (qui a veteribus illis Cruciatis, quos Ioannes Zápolya Aő. 1514. ad Temesvárinum deleverat nomen *Kuruzzonum* obtinuerant) adsociassent. *Vid. Continuat. Timon.* pag. 282. *Kemény*, Cap. I. §. 79. pag. 129. *Belii* Notit. Hung. Nov. *Tom.* IV. *pag.* 595. lit. *q.* & pag. 603. sequ.

§. 350.

In Hungaria hoc Aő. 1704. Forgátsius prædictus, a Siegeberto Heistero, ad Szemerinum cæsus & profligatus est. Contra ea Kuruzzi ad St. Gotthardum, Ducem Cæsareum Rabbattam, cruento prœlio devicerunt, & castris insuper exuerunt. Rursus illi ad Albam Regalem ab Heistero fugantur, Dux vero Ricsanius, ad Albos Montes, a Berecsenio profligatur, captus Tyrnaviam deportatur. Ad eandem hanc urbem

mem-

mense Decembr. ipso Stephani Protomartyris Festo die, Heisterus cum Rakotzianorum exercitu maximo conflixit. Ac rebelles quidem tanto in Cæsareanos irruerunt impetu, ut hi non modo de victoria, sed de salute etiam sua suique Ducis desperarent. Versa deinde alea, Heisterus periculo ereptus, & Rakotziani, crebris Germanorum ignibus fracti, primum recedere, dein præcipiti fuga se ex acie recipere cœperunt, referente *Continuat. Timon.* ad Annum 1704. *Confr. Vagneri* Historia Leopoldi, Lib. 18. pag. 761. apud *Belium* in *Notit. Hungar. Nov.* Tom. II. pag. 65. sequ.

§. 351.

In Transilvania eodem anno globus rebellium, sub initium mensis Ianuarii, ad pagum Holdvilàg, a Barone Tige, Protribuno, disjectus est. Hungarorum tamen & Siculorum quidam Rakotzio adhærentes, perduellium numerum in dies augere non destiterunt, ferro & flamma reluctantes territando, quod Sedes præsertim Schæsburgensis experiri debuit, cujus primarii loci Schæsburg partem inferiorem, die 23. mensis prædicti igne delerunt, ac penitus desolarunt. Post hanc cladem rebelles Claudiopolim obsidione cinxerunt, viresque in dies novas ex Hungaria & Transilvania acquisiverunt. Interea vero dum hæc fierent, cædibusque & rapinis omnia devastarentur, primores rebellium, *Franciscum Rakotzium*, Statuum & Ordinum Regni nomine ementito, sollicitarunt, ut congregationem in civitatem Albam Iuliam indiceret; quo facto iidem, loco nunc dicto congregati, Rakotzium in Principem Transilvaniæ elegerunt, Sigillisque Trium Nationum, falsario ausu fabricatis, instrumentum Electionis muniverunt, Franciscumque nomine Statuum

& Ordinum in Provinciam evocarunt. Fideles contra ea Cæsareæ Majestatis subditi Cibinii generalem Diætam a 15. mensis Novembr. anni præteriti continuantes, die 2. Augusti anni præsentis, nomine Gubernii Regii, ac universorum Statuum & Ordinum Trium Nationum Transilvaniæ & Partium Regni Hungariæ eidem annexarum, solenni protestationis formula, iis, quæ Albæ Juliæ tentata fuerant, contradixerunt, eaque irrita pronunciarunt, reprobarunt, damnarunt; imo sub pœna notæ perpetuæ infidelitatis, scilicet amissione capitis & omnium bonorum, cuilibet prohibuerunt & demandarunt, ut nemo Rakotzium pro Principe agnoscat, nec nominet, multo minus infidelibus rebellium in Alba Julia congregatorum actis, factis & gestis adsentiat. Instrumentum hoc, celebre fidelitatis documentum, Sigillo suæ Majestatis, quod in manibus Gubernii erat, authentico, ac tribus Sigillis Nationalibus authenticis, legitimis & consvetis, confirmatum est ac corroboratum, & per Provinciam rite publicatum. *Vid. Copiam* hujus Instrumenti, & *Relat. Mscript. Coævor.* Europäische *Fama*, Tom. IV. pag. 474. sequ.

§. 352.

Non defuerunt, qui seriæ, ut prædictum est, admonitioni locum dantes, ad saniorem mentem redirent, & a partibus rebellium abstinerent; plurimi tamen, animo obfirmato, præcipites in perniciem ruere perrexerunt. Quare Præfectus militiæ in Transilvania Cæsareæ summus, Comes *Joann. Ludov. Rabutinius*, omnem adhibuit operam, ut conanima eorundem, ad devastationem Provinciæ tendentia, irrita redderentur. Subinde igitur rebelles *Kuruczos*, modo ad silvam Cibiniensem, modo aliis in locis profligavit.

Maxima

laxima tamen clades ea fuit, quam eisdem die 8. ctobr. ad Claudiopolim intulit, quam a novem fere enſibus obſeſſam tenuerant. Hoc prælio exercitus re-ellium numerum 10000. ſuperans, Ducibusque *Ste-ano Thorotzkai*, *Michaëli Teleki* & *Paulo Kaſſás* pa-ns, a Rabutinio, qui *Actonem*, *Graffium* & *Tigium* ljunctos habebat, cæſus, amiſſisque 2000. in fugam tus eſt. Poſtea vero munimenta civitatis Claudiopo-, quæ *Kaltenplattius*, ſummus Legionis Neupergi-æ Vigiliarum Præfectus, egregie defenderat, juſſu abutinii demolita ſunt, ne rebellibus ſecurus refugii cus relinqueretur. *Vid. Relat. Mſcript.* & *Contin. imon.* ad Annum 1704.

Caput II.

TRANSILVANIA ſub IOSEPHO.

§. 353.

Anno 1705. *Leopoldus* Cæſar die 5. Maji inter ortales eſſe deſiit, Regnumque Hungariæ æque ac incipatum Tranſilvaniæ filio IOSEPHO moderan-un reliquit. Certiores de hac mutatione Tranſilva-s fecit glorioſus ſucceſſor litteris ad eosdem, die . menſis prædicti, exaratis, quibus fidelitatem illis mmendat, eosque de paterno ſuo favore ſecuros e jubet. Digna ſunt, quæ adponamus verba Principis: *lſecuramus vos verbo Noſtro Regio, NOS nullum incipis & Regis boni munus intermiſſuros, quin to fideliſſimos Nobis trium Nationum & quatuor ibi-m receptarum Religionum Status & Ordines, reli-osve cujusvis gradus & conditionis ſubditos Noſtros, communi & particulari, tam ſacra, quam profana*

 quod

quod spectat, in eorum juribus, legibus, privilegiis, immunitatibus & indultis, quæ videlicet ab Alledicto Augustissimo prædecessore & genitore Nostro desideratissimo, seu diplomatice, seu aliis sacrum hoc Diploma secutis benignissimis Resolutionibus & sanctionibus, charæ Transsilvaniæ concessa fuere, Clementissime non modo confirmaturos, verum etiam illibate conservaturos, omniaque & singula benigne promissa effectui mancipaturos &c. *Vide Copiam Litterar. Mscript.*

§. 354.

Rakotziani hoc anno, animo contra omnia saniora consilia obfirmato, Székii conventum instituerunt, ibidemque tanquam in comitiis, *Franciscum*, Ducem & Principem seu Caput factionis, *Nicolaum* vero *Berecsenium* supremum Capitaneum nominarunt, reliquis primipilis Principi a consiliis esse jussis. Superest feralis hujus conventus numismaticum monumentum, in cujus una parte tres conspiciuntur Virgines Vestales, corollis redimitæ, ad aram sacrificantes, alendoque igni sarmenta adgerentes cum inscriptione: CONCVRRVNT VT ALANT, & inferne: CONCORDIÆ RELIGIONVM ANIMATA LIBERTATE. A. M. D. CC. V. IN CON. SZECH. Altera vero caput nudum exhibet Rakotzii cum perigraphe: FRANCISCVS. II. D. G. TRANSYL. PRIN. RAKOCZI. DVX. CONFOE. deratorum R. egni H. ungariæ STAT. uum. *Vid. Belii Notit. Hung. Nov.* Tom. II. pag. 68. Tom. IV. pag. 192. not. *k.*

§. 355.

Ex dictamine concilii hujus infausti, rebelles arma longe lateque in Regno Hungariæ circumtulerunt;

Tyrnaviam ab Heistero derelictam continuo occuparunt, & utrumque Austriæ limen ac Moraviam incursare; quin Viennam ipsam relucentibus a longinquo ignibus territare non dubitaverunt. In Transilvania vero *Simon Forgácsius* Claudiopoli occupata, civitatem Saxonicam Mediam obsidione clausit, & circa finem mensis Iunii ad deditionem compulit. Quo facto ipse Rakotzius Provinciam est ingressus, illustribusque lætitiæ signis Claudiopoli a PP. Societ. Iesu, tanquam Princeps Regionis exceptus. Testantur hoc inscriptiones, Arcus triumphalis, sive portæ, in honorem Rakotzii & Forgátsii ab iisdem erectæ, quarum duas saltem apposuisse sufficiat. Prima sic habet:

Porta patet posIta a DaCIs tIbI Magne RakoCI.

altera vero hujus est tenoris:

Ordo rerum anima, anima ordinis hasce per oras
FORGATSCH, hunc igitur dicite Rerum animam

Addamus tertiam:

Sangvine tantorum, TIBI quæ debentur avorum
Transilvana, DVCVM MAXIME,
sceptra cape.

Vid. Relat. Mscript. Europäische *Fama*, pag. 631. Tom. IV. Huc etiam pertinet Ducatus 1705. Claudiopoli cusus. *Vid.* Schmeizels Erläuterung goldener und silberner Siebenbürg. Münzen, p. 91. §. 244.

§. 356.

Hisce armorum Rakotzianorum in Transilvania progressibus obicem positurus, *Comes* d' *Herbeville* ex Hungaria cum exercitu adest, cui Rakotzius cum

gátsio ſe in finibus Provinciæ oppoſuerunt. Prœlio die 10. Novembr. decertato, rebelles inferiores abierunt, amiſſisque 6000. ſuorum, omnique fere apparatu bellico, in Hungariam ſuperiorem derelicta Tranſilvania ſe receperunt. Quare Cæſareani, munimento recens exſtructo Sebeſienſi deſtructo, Regionem ingreſſi, loca potiora, in hisque Cibinium præſertim & Coronam, civitates, diuturna obſidione liberatas, præſidiis neceſſariis firmarunt. Cæterum hoc eodem anno, quum non pauca Regii quoque Gubernii membra ſe rebellibus adſociaſſent, Collegii hujus loco, *Deputatio Regia* Cibinii inſtituta eſt, eidemque cura Reipublicæ commiſſa. Effecerunt illam ex parte Catholicorum, 2. Barones *Stephanus & Georgius de Hallerſtein*, *Sigismundus Kornis*, & Præſes *Gabriel Iosika*. Ex Reformatis: *B. Stephanus Veſſelényi*, Comites *Ladislaus Teleki & Ladislaus Bethlen* cum *Ludovico Nalatzi*. Ex Auguſtanæ Confeſſioni addictis, Comes Nationis *Petrus Veber* de *Herrmannsburg*; Conſul Cibinienſis, *Andreas Teutſch*; Conſul Medienſis, *Samuel Conrad de Heydendorff*, cum Villico Coronenſi *Georgio Draut*, & denique ex Vnitariis *Samuel Biro*, *Gregorius Sandor*, *Stephanus Maurer* & *Gabriel Gidoſalvi*. *Vid. Timon* ad hunc Annum. *Relat. Mſcript.* Leben Kayſers *Ioſephs* Part II. pag. 79-91.

§. 357.

Sub initium anni ſequentis 1706. rebelles in Hungaria Sopronium obſidione cingentes, Virtuti Comitis *Ioannis Palſi*, Bani Sclavoniæ ceſſerunt, Forgâtsius tamen Ovarinum occupavit. Poſthæc de pace agi cœptum eſt; ac Rakotzianorum quidem Legati, Laurentius Pekri, Michaël Mikes, Michaël Teleki, Simon

mon Kemény & Paulus Rhedei cum mediatoribus Anglis & Batavis Tyrnaviæ convenerunt, arbitris Cæſareis Poſonii commorantibus. Quum vero rebellium poſtulationes ſpem omnem compoſitionis eliderent, tractatus menſe Iunio cœpti, circa finem ſequentis Iulii, abrumpi debuerunt. Ad arma igitur utrinque ventum eſt, ac vario marte hinc inde decertatum. Ocskaio Hungariam inferiorem miſere devaſtante, Rakotzius Strigonium cepit, Berecsenius vero Hannibalem ab Heiſter in limitibus Styriæ devicit, ac captivum obtinuit. Contra ea Comes de Stahrenberg cum Comite Ioanne Pálfio, rebelles prope Strigonium adorti, in fugam egerunt, ac denique die 9. Octobr. ipſum fortalitium nunc dictum expugnarunt. *Vid. Belii Not. Regn. Hung. Nov.* Tom. II. pag. 70. ſequ. Leben des Kaysers *Ioſephs* Part. II. pag. 194-216. Europäiſche *Fama* Part. LIII. pag. 340.

§. 358.

Comes I. L. Rabutinius Tranſilvania, Stahrenbergio opem laturus, exceſſerat, ac Varadino de annona pariter ac neceſſario apparatu bellico providit. Exercitui vero Cæſareo, Comite Karoli obluctante, copias ſuas jungere nequivit, eaque propter in Tranſilvaniam pedem cum ſuis referre eſt coactus. Factum eſt inde, ut Dux rebellium, *Laurentius Pekri*, Tranſilvaniam impune affligeret, civitatesque Saxonicas, Cibinio & Corona exceptis, omnes muris ſpoliaret. Deplorandum præſertim fuit fatum, quod Sabeſienſes experti ſunt, ac Stoltzenburgenſes; Sabeſum Andreas Csáki, expugnavit & devaſtavit; arcem vero Stoltzenburg, Pekri ipſe fraudulenter cepit, & contra datam fidem deſtruxit, magno incolarum nume-

ro

ro cæso, eorumque ædibus flamma absumtis. Schæsburgensium civitatis pars inferior penitus desolata est; sola arce Rakotziani potiri non potuerunt. Quæcunque oppida, vel vici, extremam perniciem evitare volentes, magna pecuniarum vi exsoluta, vix eandem declinare potuerunt. *Vid. Annal. Mscripti, Veissi* historisch- geographische Beschreibung von Siebenbürgen. §. 113. *Copiæ protectional.* variæ.

§. 359.

Anno 1707. ineunte, Rabutinius iterum in Hungariam cum parte copiarum suarum profectus est, postquam Colonello, *Baroni de Tige* Provinciam commendasset. Rakotzius itaque Berecsenio res in Hungaria gerendas commisit, & Comite Karolio, ac selecta rebellium manu stipatus, Transilvaniam est ingressus, quo eum adhærentes sui, litteris die 28. Martii, Marosvásárhelyini datis, publico Statuum & Ordinum nomine evocarunt. His præconibus denuo in Principem Regionis est proclamatus, ritu que solenni in Albam Iuliam introductus. Posthæc idem ad conventum Onodini institutum est profectus, quem rebelles satis turbulenter mense Iulio celebrarunt. Rabutinius vero mense Septembr. ex Hungaria redux, una cum Tigio globos Rakotzianorum hinc inde præcipue ad montes Hunyadienses eo successu disjecit, ut circa finem anni, maximam Transilvaniæ partem eisdem ereptam, atque sub Imperium Cæsaris redactam, fideles hujus subditi lætabundi viderent. *Vid. Continuat. Timon.* ad hunc Annum cit. pag. 284. Leben Kaysers *Josephs* Part. II. pag. 339. sequ.

§. 360.

Inter ferales illas, quibus Kuruzzones Transilvaniam afflixerunt, turbas Clementissimus Imperator, complura gratiæ suæ ediderat documenta. Inter ea, quæ nobis innotuerunt, primum die 10. April. Aō. 1706. exaratum est, in quo mandatum est, ut contra captos rebelles secundum leges patriæ procedatur, insuper vero resipiscentibus generalis Amnistia publicata; vetitumque, ne perduellium domus destruantur, fidelibus potius conferendæ. Alterum eodem hoc anno die 14. Novembr. subscriptum de novo gratiam Rakoczianis, si ad officium redeant, offert, & officialibus disciplinam militarem commendat. Perennis denique illa dictorum factorumve venia & oblivio anno etiam 1707. die 11. Iulii, prævaricatoribus oblata, & per summum militiæ Cæsareæ in Transilvania præfectum, Comitem *Rabutin* de *Bussy* die 26. Septembr. ex castris ad Asto publicata est. Neque omnino nulli per hanc paternam optimi Principis indulgentiam ad meliorem mentem se reduci passi sunt: plurimos tamen metus inevitabilis bonorum suorum ruinæ, a complicibus perduellionis perpetiendæ, aut mens refractaria retinuit, ut vestigia resipiscentium sequerentur. *Vid.* Copiæ *Litterar. Regio Principal. Mscript.* & *Annales* domest.

§. 361.

Res Kuruzzonum inde ab Aō. 1708. in pejus ruere cœperunt: durantibus enim comitiis, jubente Augusto, Posonii die 4. April. celebrari cœptis, quibus Rakotziani conventum Agriensem frustra opponebant, hi post varias hinc inde acceptas clades, tandem ad Trentschinum, die 3. Augusti ab Heistero & Palffo

ingen-

ingenti cæde ſunt proſtrati. Auxit infortunium defectio *Ocskaii*, qui cum integra ſua legione ad partes Regias transivit, & proſperimus armorum Cæſareorum ſucceſſus, quo mediante prædictus Heiſterus civitates montanas pene omnes occupavit. In Tranſilvania ſuffectus Rabutinio, *Georg. Fridr. de Kriegbaum*, Kuruzzones pari felicitate undique expulit, eis denique arces, Devenſem, Hunyadienſem & Györgyoienſem eripuit, & poſtquam reliquias rebellium, circa finem anni, in ſilvis ac montibus Sedis Siculicalis Gyergyo oppreſſiſſet, exoptatam Provinciæ pacem reſtituit ac ſecuritatem. *Vid. Continuat. Timon.* ad Annum cit. Leben Kayſers *Ioſephs* Part. II. pag. 512. ſequ. *Veiſs* l. cit. §. 114.

§. 362.

Sequentibus proximis duobus annis, Hungari continuas a perduellibus afflictiones pati debuerunt, licet hi ab Heiſtero, Palfio, aliisque Cæſareis Ducibus ad incitas fere redacti eſſent. Vbi vero Aō. 1711. Rakotzius, re deſperata, in Poloniam ſe recepiſſet, multique partes ejus ſecuti gratiam legitimi Principis ſui amplexi eſſent, motus tandem hi peſtiferi menſe April. ſunt compoſiti, ſolenni transactione mediante die 29. April Debrecini (alii ponunt Szathmárini) ſubſcripta, vi cujus *Comes* de *Karoli* exercitum 10000. Kuruzzonum arma deponere juſſit, quibus perrennis patratorum oblivio indulta, reſtitutio bonorum amiſſorum, liberumque Religionis ſuæ exercitium appromiſſum; omnibus quæ ſupereſſent gravaminibus, inſtantibus comitiis Regni, ad ventilandum reſervatis. *Vid. Timon. Continuat.* ad Annum cit. Kayſers Joſephs

Leben

Leben, Part. II. pag. 591. sequ. Historischer Bilder-Saal Part. VII. Period. II. Cap. I. pag. 439. sequ.

§. 363.

Transilvania ex calamitatibus belli civilis difficulter eluctata, lue contagiosa, annis 1709. & 710. misere afflicta est, quippe qua multa hominum millia in Comitatibus, Albensi, Küküllövár, Colosiensi & Thordensi, Sedibus Saxonicalibus, Cibiniensi, Mediensi, Schæsburgensi, ac Sedibus Siculicalibus, Vdvarhely & Gyergyo, sunt absumta. Ad cumulum denique malorum accessit magna caritas annonæ, quam locustæ agros & prata depastæ, maxima ex parte causaverant. Cæterum Aô. 1710. in Supremi Militiæ Præfecti L. B. a Kriegbaum Cibinii defuncti locum substitutus est ab Augustissimo Principe *Ioann. Steph.* Comes de *Steinville*, cujus memoriam in his partibus, multa præclare facta, suo loco indicanda, perennarunt. *Annal. domest. Veiss* l. c. Cap. IV. §. 49.

Caput III.

TRANSILVANIA sub CAROLO VI.

§. 364.

IOSEPHO Romanorum Imperatore, Hungariæ, Bohemiæque Rege, ac Principe Transilvaniæ, præmaturo fato, Aô. 1711. die 17. April. mortalibus erepto, successit CAROLVS frater, gloriosæ memoriæ, Rex Hispaniarum hujus nominis III. Imperator Romanorum VI. Rex Hungariæ II. Princeps Transilvaniæ I. Ex Hispaniis, ubi bellum successionis caussa ei geren-

dum

dum fuerat, in Germaniam redux, ac die 22. Decemb. anni prædicti, sacra Romani Imperii corona ornatus, sequenti anno die 23. Maji, Posonii ritibus patriis in Regem Hungariæ inauguratus est. Iam ante vero Transilvanis gratiosum se Principem testatus fuerat, Diplomate die 13. Martii exarato, quo mediante iisdem plane, quibus gloriosus Antecessor & Frater ejusdem, verbis Regiis, Status & Ordines Provinciæ universos securos esse jussit, se omnes & singulos Transilvaniæ incolas in eorum juribus & legibus, Privilegiis, immunitatibus & indultis illibate conservaturum. *Vid.* Copia *Litterar. Regio principal. Mscript.*

§. 365.

Sub initium statim regiminis sui gloriosus Princeps *Carolus*, luculentissima paterni affectus, & reliquis Transilvaniæ incolis, & Nationi præsertim Saxonicæ edidit documenta. Huc referimus Mandatum Ejusdem die 6. Novembr. anni prædicti 1712. ad Inclit. Deputationem Transilvanicam emanatum, quatuor præsertim sequentia momenta urgens, nimirum:

I.) Vt proportio justa distribuendorum onerum, non modo inter Nationes, verum etiam in ipsis Nationibus ad amussim observetur, eumque in finem Commissarii denominentur, qui inquirant per universam Provinciam de moderno ejus statu, per singulas Nationes, Comitatus, Sedes, Districtus, Civitates, Oppida & vicos, de locorum habitatoribus, eorumque facultatibus, debitisque activis & passivis, territoriis eorumque fructibus, redditibus & aliis quoque vivendi & acquirendi mediis, unde demum justa & impartialis contribuendi norma erui & stabiliri queat.

II.)

II.) Vt usuræ gravissimæ a 10. pro Cent. non modo a Saxonica Natione, verum & alibi ubivis exigi solitæ, a modo in posterum ad 6. redigatur & moratorium Nationi Saxonicæ, ratione debitorum suorum indulgeatur.

III.) Vt debitorum qualitas indagetur per subjecta a partium studio aliena ex tribus Nationibus, a Deputatione, vel mox erigendo Gubernio denominanda.

IV.) Vt debita fidelis Nationis Saxonicæ fisci causa contracta specificentur.

Paternum hocce Regiæ Majestatis Decretum, die 25. Novembr. insecutum est aliud, quod inter alia jubet, ut ne ulli Religionum receptarum, absolute contra aliam, via facti quidquam intentare liceat, & ab omni violentia prorsus abstineatur. *Vid.* Copia *Decret. Mscripta.*

§. 366.

Sequenti anno 1713. Deputatione Regia sublata, *Regium* in Transilvania *Gubernium*, jubente Clementissimo Principe restitutum est. Dignitas itaque Gubernatoris collata Comiti, *Sigismundo Kornis*, eique additi sunt ex Catholicis, Comes *Michaël Mikes*, & Baro *Georgius Haller*; ex Reformatis: Baro *Stephanus Vesselényi*, Comes *Ladislaus Teleki* & *Andreas Szentkereszti*; ex Evangelico Luther.: *Samuel Conrad ab Heydendorff*, & *Andreas Teutsch*, Comes Nationis Saxonicæ, & denique ex Vnitariis: *Samuel Biro*, & *Michaël Simon*. Protonotarii facti sunt: *Michaël Clasz*, Catholicus, *Andreas Szentkereszti*, Reformatus, & *Gregorius Sándor*, Vnitarius. Cancellarii vero munus per promotionem Sigismundi Kornis vacans, *Ioanni Bornemissa* de *Kászon*, Iudici Regio Csikiensi

kiensi & universorum Regiorum proventuum in Transilvania Perceptori, destinatum est, quod eidem etiam in Aula Viennensi 4. Martii, anni sequentis fuit confirmatum. *Vid. Timon. Continuat.* ad Annum cit. pag. 291. sequ. *Relat. MScript.*

§. 367.

Hoc eodem anno, mense Octobr. ex mandato Clementissimi Principis, §. 365. allegato, opus illud salutare Conscriptionis facultatum & redituum omnium & singulorum Transilvaniæ incolarum, a Commissariis ex tribus Nationibus electis, cœptum est, sequenti vero anno continuatum. Et hæc quidem manipulatio ab illa, quæ Aó. 1703. jubente Leopoldo M. instituta, per motus vero Rakotzianos turbata fuerat, diversa non fuit, nisi quod ea sine arbitris Germanis, qui huic partim a Regia Augusti Imperatoris, partim a Supremo Militiæ Præfecto, Comite Rabutinio, additi erant, perageretur. Variæ tamen intervenerunt caussæ, hic loci non recensendæ, quæ efficerent, ut finis a Clementissimo Principe intentus, subsequi, atque adeo Natio Saxonica ab onere, proportionis omnis experte, sub quo tot annos gemuerat, liberari non posset. *Vid. Relat. MScr.*

§. 368.

Anno 1715. Præsidem Statuum Transilvaniensium Augustissimus Princeps nominavit *Stephanum L. B.* de *Vesselényi*, præterea vero aliud constituit tribunal, quod *Tabulam Regiam Judiciariam* placuit appellare. Assessores declarati sunt: *Ladislaus Mikola*, Comes *David Petki*, *Gabriel Haller*, recens creatus Comes,

cum

ım fratribus *Ioanne & Franciſco*, Comes *Martinus irpatakius & Ioannes Thorotzkai*, Catholici; Baro *adislaus Kemény*, Comes *Ioannes Bethlen* & Comes *ſephus Teleki*, Reformati, quibus tres porro Vnitarii ınumerati. Secretariorum munere ornati fuerunt, *gismundus Kun*, Catholicus & *Samuel Kölöseri*, Re-rmatus. *Vid. Timon. Continuat.* ad Annum 1715. ıg. 293.

§. 369.

Annos 1716. & ſequentem fauſtiſſimus ille armo-m Cæſareorum, contra infeſtum chriſtiani nominis ıſtem Turcam progreſſus, in omne ævum memo-biles reddidit. Magni enim nominis heros, Princeps *ıgenius* de *Sabaudia*, barbarorum exercitu die 5. Au-ıſti anni ſupra memorati, 1716. ad Petrovaradinum ·ſo & fugato, Temesvárinum, celebre illud fortaliti-n, quo chriſtiani per continuos annos 164. ægre rere debuerant, die 17. Octobr. expugnavit, ſimul-ıe integrum Bannatum ditionibus Cæſareis adjunxit. ıri ſucceſſu idem victor, anno ſequenti 1717. die 17. ıguſti Turcarum exercitum ad Belgradum in fugam ;it, ac die 22. ejusdem menſis, ipſum hoc chriſti-i nominis propugnaculum antemurale ad deditio-m compulit. *Vid. Europ. Fama*, Part. 196. 199-204. *ıid. Ferrarii de Rebus geſtis Principis Eugenii Sabaudia in bello Pannonico.* Lib. II. *Theatre de ıerre du Prince Eugene.*

§. 370.

Dum hæc agerentur, Tranſilvania quoque noſtra commodis & incommodis belli Turcici participa-; ſub auſpiciis enim Supremi Armorum in hac Pro-

 vincia

vincia Præfecti, Comitis de *Steinville*, Dux Militiæ Nationalis, *Stephanus Dettini* Legionis Pivodanæ Vice-Colonellus, aut Protribunus, Aó. 1716. non solum partem Valachiæ cis Alutanæ occupavit, verum etiam die 25. Novemb. ejusdem anni, ipsum *Nicolaum Maurocordatum*, Valachiæ totius Transalpinæ Vajvodam, Bukurestino expugnato, cepit, captumque cum conjuge & quatuor filiis Cibinium traduxit; ubi usque ad illud tempus, quo pax iterum cum Porta Ottomannica coaluit, in custodia detentus fuit. Inter incommoda vero, durante hoc bello perpetienda, numeramus præcipue invasionem Tartarorum, qui Aó. 1717. Duce filio Chami, die 22. August. in Transilvaniam irruperunt, & devastato Districtu Bistriciensi ac contiguis Hungariæ Comitatibus, nuncio de expugnatione Belgradii accepto, pedem iterum, multis tamen suorum amissis, ad sua receperunt. *Vid. Timon. Continuat.* ad Annum cit. *Schvantzii* Descriptionem Valachiæ, Lib. II. *Relat. Mscr. coævor. Soterii* Duces Valach. §. 39.

§. 371.

Pacem petentibus Turcis, Augustus Cæsar indulsit, Aó. 1718. die 27. Iulii, in Oppido Serviæ, cui nomen Passarovitz, stabilitam, annos continuos 24. duraturam. Vi hujus pacis ditioni Cæsareæ, Banatus Temesiensis, major pars Serviæ & Valachia Cis-Alutana, quinque Comitatus, seu Districtus, Vultzensem, Silensem superiorem & inferiorem, Romunatzensem, Mehednitzensem complexa, est adjuncta. Limes Turcis oppositus, flumen Aluta in Valachia, fluvius Timoc in Servia, Savus præterea in Bosnia, ita tamen ut Regio inter Dvinam & Vnnam fluvios ripensis interja-

terja-

terjacens, ſub Cæſarea etiam maneat poteſtate. *Vid. Inſtrumentum pacis*, Art. I-VI. *Fabri* Staats-Kanzley Part. XXXII. Cap. VIII. *Europ. Fama*, Part. 210-215. *Mappa* a Petro Schenk Amſtelod. 1718. vulgata. *Schvantzii* Deſcriptio Valachiæ Cap. IV.

§. 372.

His temporibus ſecuritati ac Commodo Tranſilvaniæ ſimul & Valachiæ neo-acquiſitæ Auguſtiſſimus Princeps per Supremum Armorum Præfectum, Stephanum Comitem de *Steinville*, egregie provideri curavit. Referimus huc præſertim illuſtria & celeberrima illa potentiæ & gratiæ Cæſareæ monumenta, civitatem & Viam Carolinam & propugnacula hanc defenſura; *Albam* quidem priſco nomine *Juliam*, ſeu *Gyulæ* (ut monumenta habent) vocitatam, ſeptem operibus & munimentis circumdare jam Aō. 1715. juſſerat Cæſar. Atque hoc etiam anno primum propugnaculi lapidem poſuerant ſolennibus cærimoniis, Comes *Sigismundus Kornis*, Gubernator, Comes item de *Steinville* ſupradictus, cæterique viri primarii & Magnates Tranſilvaniæ; a quo tempore, teſtibus nummis in hoc negotium cuſis memorabilibus, CAROLINÆ illi nomen inditum fuit; opus vero, bello Turcico paululum interruptum, pace demum reſtituta iterum continuatum, multosve poſt annos, præſertim ſub directione Vice-Colonelli Architectorum Militarium, L. B. de *Veiſſe*, tandem conſummatum eſt. Digna ſunt quæ apponamus Chronoſticha in memoriam hujus fortalitii elaborata, quæ ita habent:

LVCe saCra CaroLI sIMILes ALba aCCIpIt ortVs
In soLIDa prIMVs ponItVr arCe LapIs.
IVLIa nata fVI, CaroLVs VIM, robVr & aVxIt
IVLIa sIM LIbeat, nVnC CaroLIna VoCor.

Vid. Timon. Contin. ad Annum 1715. *Veissii* historisch-geographische Beschreibung von Siebenbürgen. *Numismata memorial.*

§. 373.

Viam in faucibus alpium Tallmatsensibus aperire cœpit *Steinville*, sub directione *Friederici Schvantzii*, Gromaticorum Centurionis, circa finem anni 1717. eamque immenso labore, sumtibus non ita magnis, & numerum 60000. florenorum non superantibus, sequentibus annis utcunque perfecit, ac *Carolinam* in honorem Augusti nuncupavit. Ducit illa peregrinantes a Rubra Turri, post decursum 11. horarum, ad Monasterium usque Valachicum Kosia, dictum. In defensionem vero ejusdem fortalitium quoque erectum est, cui nomen *Arxavia* (germanice Straßburg) e regione pagi Kinen, dicti, simul hosti ex parte transalutana adventuro, in via Bukurestiensi ad vicum Perisán, separatum propugnaculum oppositum, quod de dicto vico nomen traxit. Inscriptionem Strasburgo, D. Medic. *Gorgias*, sequentem posuit:

Strasburg Steinville, Arxavia dixere Latini,
Arcet ab augusta tela inimica via.

Viam Carolinam, *Samuel Kölöseri* de *Keres-Eer*, Secre-

cretarius Gubernialis, ubi ſub inſpectione Præfecto-
m Militarium, Steinvillium ſecutorum, perfecta es-
, ſequenti Epigraphe ornavit:

STA VIATOR!
VBI NATVRA STARE IVBET,
&
VIRTVS ÆTERNÆ VRBIS STETIT.
HIC
SVB AVSPICIIS
CAROLI SEXTI
IMPERATORIS CÆSARIS
VERE AVGVSTI,
SVBACTA BREVI BELLO, SED FORTI ANIMO,
EVGENIO,
CÆSARIS VICARIO, DVCE
RIPENSI DACIA.
T MEDIÆ MVTVIS COMMERCIIS, IVNGERETVR
ALPESTRIS: EFFRACTIS RVPIBVS,
PRÆCIPITIIS IN PLANVM DVCTIS,
ALPIBVS PONTE IVNCTIS;
XI. HORARVM
VIA VEHICVLARIS APERTA EST.
OPVS EGIT,
STEPHANVS, COMES A *STEINVILLE*,
PEREGIT,
MIANVS HVGO, S. R. I. COMES a *VIRMONDT*,
LEGATI & PRÆSIDES CÆSARIS,
ARCHITECTO, *FRIDERICO SVANTZIO*.
QVID PROVIDENTIA AVGVSTI
PRO SALVTE PVBLICA
PER FIDELE MINISTERIVM POSSIT?
GRATÆ POSTERITATI PERENNE MONVMENTVM!
IAM
VADE PROSPERE
ET MEMINERIS:

 VIRTV-

VIRTVTI *CAROLI* INVIAM NVLLAM ESSE
VIAM,
QVÆ, DVM ALPES EVISCERAT & FLVMINA DOMAT,
BELLVM SISTIT, POPVLOSQVE MONTIBVS NVDATOS,
IMPERIO FROENAT, OBSEQVIO FELICES.
VIA CAROLINA
HÆC EST.
EX VOTO POSVIT
SENATVI DACICO
A SECRETIS,
S. K. D. K.

Vid. Veiss l. c. & *Schvantzii* Descriptio Vall. *Lib.II.* Schmeitzels *Notit.* Transilv. &c.

§. 374.

Diuturna post pacem Passarovitzensem ad hodiernum usque diem tranquillitate fruita est Transilvania; salutem vero illius subinde varii casus & calamitates adflixere. In his numeramus maximam annonæ caritatem & luem contagiosam, quæ annis 1718. & sequenti miseros illius colonos vexarunt. Vix ex hisce malis eluctata fuerat Provincia, quum Præsidem suum, Comitem de *Steinville*, amitteret, Aõ. 1720. mense Septemb. humanis ereptum. Partes illius jussu Augustissimi Principis suscepit *Damianus Hugo*, S. R. I. Comes a *Virmondt*, qui post varia alia præclare facta, postrema ad Aulam Turcicam inclaruerat solenni legatione. Is igitur sequenti anno die 14. Iunii, Claudiopolim ingressus, a proceribus patriæ, Comitiorum caussa ibidem congregatis, honorifice est salutatus, quibus inter alia Cæsaris Optimi jussa, severius mandatum Ejusdem inculcavit, novam Regionis illiusve Incolarum conscriptionem instituendi, ex qua tandem

ad

ad solamen oppressorum, impartialis quædam Contributionis infligendæ norma erui posset. *Vid. Contin. Timon.* ad Annos cit. *Relat. Mscript.* & *Annales domestici* coævor. auctor.

§. 375.

Annus 1722. æterna memoria dignus est, ob Comitia circa finem Febr. celebrari cœpta. In his enim celebris illa Sanctio Pragmatica, de Iure hæreditario successionis in Provinciis Augustissimæ Domui Austriacæ subjectis ad fœminei quoque sexus descendentes ejusdem pertinente, communi Statuum & Ordinum consensu & applausu acceptata, ac solemni instrumento publico stabilita est, die 30. Martii exarato. Confirmavit hocce monumentum Augustissimus Princeps Clementissimo Decreto, Aô. 1723. die 10. Decembr. extradato. Quod quum anno sequenti in generali Diæta publicatum esset, unanimi voto regnicolarum, ut Sanctio illa Pragmatica legibus patriis adnumeraretur, fuit conclusum atque declaratum, eodem modo, quo illud a Statibus Regni Hungariæ fuerat præstitum. *Vid. Copia Monument. Mscript. Belii* Notit. Hung. Tom. I. pag. 396. sequ.

§. 376.

Præfuit posterioribus hisce Comitiis cum auctoritate Plenipotentiarii Commissarii Regii, *Lotharius Josephus* S. R. I. *Comes a Königsegg*, cui sua Majestas Supremam armorum in Transilvania Præfecturam, post mortem Virmondtii, die 20. April. Aô. 1723. prægressam, clementissime demandarat; sub ejusdem moderatione Diæta etiam anni sequentis 1725. fuit ce-

lebrata. Ex Decreto Augustissimi Principis ad Regium Gubernium die 1. Martii expedito, & in Comitiis illis publicato apparet, Conscriptionem Aó. 1721. mandatam & cœptam, aut plane abruptam, aut certe cunctanter satis continuatam fuisse, quippe Status & Ordines ut eandem quantocyus perficiant denuo in eodem admonentur. Idem præterea illud, quod hoc opus urgebat, paternum subditis consulendi desiderium, correctionem quoque remoratæ justitiæ, primoribus Transilvaniæ serio commendabat. *Annal. domest.* ad Annum cit. Copia *Decreti Mscript.*

§. 377.

Postquam Sua Majestas *Königseggium* eodem hoc Aó. 1725. e Transilvania Viennam accerserat, eo fine, ut eundem extraordinarii Oratoris munere ornatum, Madrittum, ad pacem cum Philippo V. Hispaniarum Rege firmius stabiliendam ablegaret, in Diætis sequentium annorum 1726 - 729. inter Status Catholicos & reliquis Religionibus addictos, super correctione remoratæ justitiæ, & abolitione quorundam Articulorum Approbatarum & Compilatarum Constitutionum, magna animorum contentione, sine salubri tamen effectu, disputatum est. Anno vero sequenti 1730. *Franciscus Paulus* S. R. I. Comes a *Vallis*, in Præfectum Armorum per Transilvaniam supremum ab Augusto renunciatus est, qui die 2. Martii munus hoc amplissimum solenniter adiit, & per continuos septem annos strenue administravit. *Vid. Timon. Continuat.* ad Annum 1725. *Annales domest.* & Copiæ *Instrument. Mscript.*

§. 378.

Anno tandem 1731. opus illud correctionis remoratæ juſtitiæ, a deputatis Commiſſariis primum elaboratum, poſtea a Statibus & Ordinibus Principatus, per Comitatus & Sedes, denique per Tabulam Regiam Iudiciariam examinatum, ac per Excelſum Regium Gubernium reviſum, ad Aulam Cæſaream transmiſſum eſt. Simul vero Status Reformatus, gravamina ſua, cum demiſſa Supplicatione pro obtinenda medela, Suæ Majeſtatis ad pedes deponunt orantes, ut liceat illis ſubjectum aliquod in benignum Auguſti conſpectum mittere, quod demiſſas preces ipſorum Sacro Diplomati conformes inſinuare poſſit. Permoverant eosdem, ut hoc facerent, projectatæ quædam Conſtitutiones Claudiopoli Viennam expeditæ, quas ſibi nimium præjudicioſas verebantur. Quum vero hoc eodem anno menſe Decembr. *Sigismundus* Kornis, Gubernator deceſſiſſet, motus, quibus diverſæ Religionis membra inter ſeſe colliſa fuerant, paullatim reſederunt. *Relat.* & *Copiæ Inſtrument. Mſcript. Timon. Continuat.* ad Annum cit.

§. 379.

Sequentibus annis 1732 - 734. Provinciæ adminiſtrationi præſedit Comes, *Franciſcus Paul.* de *Vallis*, Supremus bellicus per Daciam Moderator, donec tandem Aõ. 1734. toti Provinciæ Tranſilvanicæ datus eſt ab Auguſtiſſimo Principe novus Gubernator, Comes *Ioannes Haller* de *Hallerſtein*. Hoc vero & ſequenti anno Statuum & Ordinum Provinciæ animos mire vexavit metus, ne Epiſcopus Valachorum Græci ritus Vnitorum, *Ioannes Innocentius Klein*, L. Baro de Szád, ad Conſiliariatum Gubernialem admitteretur; quem

omni-

omnino honesto, quo inter Status gauderet loco, contentum esse posse crediderunt. Testantur de his demissæ ad Aulam Cæsaream expeditæ remonstrationes, quarum una 1735. die 17. Martii exarata est. *Vid. Timon. Continuat.* ad Annum 1731. Copiæ *Instrum. Mscr.*

§. 380.

Bello inter Russiam & Turcas, Aô. 1736. exorto Augustus Cæsar *Carolus*, jubente foedere, implicatus est. Dum itaque exercitus Cæsareus per Serviam in ditiones Barbarorum, Duce *Sekendorffio*, Aô. 1737. irrueret, Comes *Franciscus Paul.* de *Vallis*, Supremus in Transilvania Militiæ Præfectus, per Valachiam Turcas aggressurus, ad eandem expeditionem profectus est. Infelix successus *Sekendorffio* imputatus est, qui eam ob caussam Græcii in custodiam datus, *Vallisius* vero, ob amissam Crajovam, mœrore confectus, die 28. Septembr. Cibinii decessit, severioremque hoc pacto censuram evitavit. In ejusdem locum die 17. Octobr. *Georgius Christianus* S. R. I. Princeps de *Lobkovitz*, Dux Sagani in Silesia, fuit constitutus, qui sine mora munus demandatum strenue obire cœpit. *Vid.* Leben Carls des VI. *Annal. domest.*

§. 381.

Dum bellum infeliciter satis cœptum, Aô. 1738. & sequenti sine meliori successu continuaretur, Transilvania nostra lue contagiosa misere est divexata. Afflixit illa Sedem præsertim Cibiniensem, quo complures Valachorum nobiliorum familiæ, barbarorum tyrannidi se subducentes, lares suos, cum iis vero morbum quoque pestiferum contulerant. Auxit calamitatem metus, ne Turcæ victores Provinciam irruerent.

erent, quippe qui *Iosephum Rakotzium*, Francisci Aó. 1735. in Turcia defuncti filium, titulo Principis Transilvaniæ, Constantinopoli insigniverant, & faucibus a vico Perisán in Valachia dictis imminebant; utroque tamen malo liberatos nos vidimus Aó. 1739. quippe quo & dira lues subsedit, & pax cum Porta Ottomannica die 18. Septembr. ab Augusto Cæsare fuit acceptata, cujus ex tenore, Servia Turcis cum Valachia Cis-Alutana tradita, Temesiensi Bannatu retento, & finibus in Bosnia per Instrumentum Carlovitzense constitutis, renovatis.

Caput IV.

Transilvania sub Augusta MARIA THERESIA.

§. 382.

Anno 1740. ad finem vergente, Transilvania cum omnibus Provinciis Augustæ Domus Austriacæ hæreditariis & toto orbe christiano luxit præmaturum CAROLI sui fatum, quo die 20. Octob. humanis ereptus fuit. Successionem suam in Solio paterno per Pragmaticam Sanctionem stabilitam, & vigore ejusdem jam susceptam, MARIA THERESIA, Statibus & Ordinibus Transilvaniæ notam reddidit litteris, die 21. Octobr. datis, in quibus sequenti modo depressos erigere animos dignata est: *Adsecuramus vos verbo Nostro Regio, & medio vestri fideles Nobis dilectos, caræ Nobis Transilvaniæ Trium Nationum universos & singulos Status & Ordines, non secus & alios quosvis, cujuscunque gradus & conditionis subditos Nostros, Nos nullum Principis & Regis boni munus intermissurum,*

rum, quin imo omnes & singulos in communi & particulari, in eorum Iuribus & legibus, privilegiis, immunitatibus & indultis, quæ videlicet a Sacratissimo quondam Principe, Dnô Leopoldo, Rom. Imperatore &c. Avo Nostro desideratissimo, seu Diplomatice;. seu aliis sacrum hoc Diploma secutis benignissimis Resolutionibus & Sanctionibus, eidem nostro Principatui concessa & indulta fuere, prout per gloriose defunctum Seren. quondam Principem Dnûm Iosephum æque Rom. Imperat. Prædecessorem & Patruum Nostrum, nec non antedictum Genitorem Nostrum Carissimum factum est, Nos quoque pro eo, quo in vos, earumque illum Principatum Nostrum ferimur adfectu, non modo Clementer confirmaturas, verum etiam illibate conservaturas. Vid. *Copia Instrum. Mscr.*

§. 383.

In solemnibus Provinciæ comitiis, Aô. 1741. Præside, Principe de *Lobkovitz* celebratis, die 1. Maji, homagium, ad normam Sanctionis Pragmaticæ, Principi Augustæ a Statibus & Ordinibus Transsilvaniæ debita cum devotione præstitum est; simulque Deputati denominati, qui nomine Provinciæ Viennam profecti Solium Suæ Majestatis Sacratissimæ pie venerarentur. Fuerunt vero illi: Comes *Ladislaus Gyulaffi*, L. B. de Rathot, Camerarius Regius, Sedis Siculicalis Vdvarhely Supremus Iudex Regius, *Georgius Pongrátz*, L. B. de Sz. Miklos & Ovàr, Consiliarius Regius Gubernii Intimus & Tabulæ Regiæ Iudicialis Præses. *Michaël Teleki*, S. R. I. Comes de Szék. *Ioann. Lázár*, L. B. de Gyalakutha, Tabulæ Regiæ Iudic. Assessor. *Petrus Binder* de *Sachsenfels*, Liberæ Reg. Civitatis Cibiniensis Senator, & *Michaël Schüller* de *Sonnenberg*, Liberæ Regiæ Civitatis Mediensis Consul, qui mense

Octobr.

Octobr. anni prædicti in conſpectu Suæ Majeſtatis admiſſi, pia pro Salute Principis vota fecerunt, ſimul vero gravamina & poſtulata Trium in Tranſilvania Nationum, ea qua par erat devotione, ad pedes Ejusdem depoſuerunt.

§. 384.

Anno 1742. Reſolutio Regia ad poſtulata Inclyt. Statuum & Ordinum Tranſilvaniæ per Deputatos exhibita d. 20. Iulii ſubſignata eſt, eademque prælecta in Comitiis d. 20. Sept. hujus anni celebrari cœptis, ſub Præſidio Plenipotentiarii Regii Commiſſarii, *Theobaldi* S. R. I. Comitis a *Csernin*, in locum evocati ex Provincia Principis Lobkovitzii, pro interimali armorum Præfecto conſtituti. Subſecutum eſt Clementiſſimam hanc Reſolutionem, novum d. 25. Aug. ſignatum Decretum Regium, in quo Auguſta maternum ſuum his verbis exponit adfectum: *Latere vos nolumus, quod ſicuti altero B. Reſcripto Noſtro univerſos Status & Ordines & Principatus incolas, tam circa ſacra quam* profana *de Iuribus, privilegiis & immunitatibus ſuis, ad preces communi nomine expoſitas, reddidimus ſecuros; ita ad normam eodem Reſcripto expreſſam, ſingula gravamina ſeorſim & ſigillatim ab uno quoque, qui ſe gravatum putat, decenter Nobis exponenda, æquo ac ab omni partium ſtudio vacuo examini ſimus ſubjecturæ, medelamque in iis, quæ fundata reperientur allaturæ &c. Quumque haud ita pridem Auguſtanæ Confeſſioni addictorum nulla in Reſcripto, quoad candidationem Cancellariatus & Theſaurariatus, facta fuerit mentio, præſentibus hiſce declaramus, id iis, ſi idonea inter eos reperientur ſubjecta, nulli in poſterum præjudicium eſſe poſſe aut debere, ſed mentem Noſtram eſſe a tenore confirmationis* Noſtræ, *ne hoc quidem in puncto vel minimum recedere.*

§. 385.

§. 385.

Longum esset ea omnia commemorare, quæ præter ea Clementissima Princeps, saluti publicæ consultura & hoc & subsequentibus annis ordinavit. Neque omnino id necessarium videtur; quum ea nostro ævo facta omnibus satis superque nota sint. Hæc vero singularis gratia fideles patriæ cives commovit, ut pio zelo ad bella Augustæ Matri cum hostibus exteris decertanda copias suas ablegarent & Serenissimum Ejusdem Conjugem *Franciscum*, Ducem Lotharingiæ, Magnum Ducem Hetruriæ &c. Aô. 1742. die. 2. Oct. ad Corregentiam in Principatu Transilvaniæ submisse invitarent, Eundemque Aô. 1744. in Comitiis publicis in actualem Corregentem venerabundi susciperent, postquam supradictus Comes *Theobaldus* a *Csernin*, nomine Regiæ Altitudinis die 21. Maji, Iuramentum Statui Transilvaniæ accommodatum desuper præstitisset, & denique Sanctionem Pragmaticam Legum patriæ codici inscriberent. *Vid. Articul. Diæt.* Aô. 1744. & *Copiæ Instrum. Mscript.*

§. 386.

Præsides Provinciæ, quorum ministerio Augusta recentissimis temporibus eandem rexit, fuerunt: *Otto Ferdinandus*, S. R. I. Comes ab *Abensberg* & *Traun*, Aô. 1747. in Supremum armorum Præfectum declaratus, cui fatis functo Aô. 1748. die 18. Febr. in eadem dignitate successor denominatus est anno sequenti *Maximilianus Vlysses*, S. R. I. Comes a *Browne*. Huic in Bohemiam evocato, substitutus est, Aô. 1752. die 28. Febr. *Franciscus Venceslaus*, S. R. I. Comes a *Vallis*. Gubernatoris officio egregie defuncto, rebusque mortalium, Aô. 1755. die 18. Octobr. erepto, Comiti *Ioanni*

Haller

Haller de *Hallerkö*, in eodem munere ſucceſſor denominatus eſt, Comes *Ladislaus Kemény*, L. B. de *Gyerö-Monoſtor*, Aõ. 1759. die 27. ſolenni ritu inſtallatus, quum vero hic ob infirmam, qua premebatur, valetudinem, Aõ. 1762. officio arduo ſe abdicaſſet: Præſidium Excelſi Regii Gubernii, *Adolpho Nicolao*, L. B. a *Buccov*, qui anno præterito in Supremum Militiæ per Tranſilvaniam Moderatorem declaratus fuerat, a Clementiſſima Principe demandatum eſt, ad quod gerendum idem, die 17. Maji, Iuramento publico ritu præſtito ſeſe obſtrinxit.

§. 387.

Silentio denique præterire nequimus, Clementiſſimam Dominam & Principem *MARIAM THERESIAM* ſolio ſuo avito, Deo auxiliante, confirmato, ea omnia ad exoptatum effectum perduxiſſe, quæ & bellorum & temporum injuriæ ſub Divis ac Glorioſiſſimis ſuis Prædeceſſoribus ſufflaminarant. Habet certe Natio præſertim Saxonica, quod de nova Contributionis norma inde ab Aõ. 1755. introducta, de admotione ſubjectorum in ſuo gremio præclare de Republica meritorum ad officia, a quibus antea excluſa fuerant, & in ſumma de propenſa ac plane materna Auguſtæ in eandem voluntate lætetur, Deumque Ter Opt. Maximum ardentiſſimis precibus implorare nunquam deſinat, ut Principem ſuam vita longæva omnique proſperitatis genere beare velit. Namque:

Iam fides & pax & honos pudorque
Priſcus, & neglecta redire virtus
Audet: apparetque beata pleno
Copia cornu.

T

Errata.

Pagina 5. §. 10. linea 6. 1590. lege 1596.
pagina 7. §. 12. linea 22. Hstoria lege Historia.
pagina 92. §. 118. linea 4. iuventos l. inventos
pagina 109. §. 144. linea 6. 1363. lege 1263.
pagina 114. §. 150. linea 2. præfectum l. profect.
pagina 114. §. 150. linea 2. Ioanni lege Ioannæ
pagina 115. §. 150. linea 8. limbo lege nimbo
pagina 116. §. 152. linea 1. 1383. lege 1382.
pagina 165. §. 222. linea 5. Sephanus l. Stephanus
pagina 165. §. 223. linea 1. 1561. lege 1562.
pagina 175. §. 234. linea 10. obstrixit leg. obstrinxit
pagina 188. §. 253. linea 1. Sgismund. l. Sigismun.
pagina 270. §. 361. linea 8. Gyórgyoiens. l. Görgeny-iensem.



